FASTI AEDILICII INDE A CAESARIS NECE USQUE AD IMPERIUM ALEXANDRI SEVERI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS HEILIGENSTAEDT

SAXOBORUSSUS

HALIS SAXONUM

FORMIS KAEMMERERIANIS

MCMX

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Georgius Wissowa.

ADOLPHO BANGERT

S.

Argumentum.

Compendia.

Borghesi op.: Oeuvres complètes de Barthol. Borghesi publiées par les ordres et frais de Napoléon III. Tome I—X, Paris 1861—97.

CIG: Corpus inscriptionum Graecarum.

CIL: Corpus inscriptionum Latinarum.

IG: Inscriptiones Graecae editae consilio et auctoritate academiae regiae Borussicae.

IGR: Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes auctoritate et impensis academiae inscriptionum et literarum humaniorum collectae et editae. I (fasc. 1—5). III. Parisiis 1901—1908.

Klein f. c.: Fasti consulares inde a Caesaris nece usque ad imperium Diocletiani. Lips. 1881.

Klein Verw.: Die Verwaltungsbeamten der Provinzen des römischen Reichs bis auf Diocletian I 1: Sicilien und Sardinien. Bonn 1878.

Levison: Fasti praetorii inde ab Octaviani imperii singularis initio usque ad Hadriani exitum. Vratislaviae 1892.

Liebenam Forsch.: Forschungen zur Verwaltungsgeschichte des Römischen Kaiserreichs. I. Die Legaten in den römischen Provinzen von Augustus bis Diocletian. Leipzig 1888.

Marquardt: Römische Staatsverwaltung.

I² Leipzig 1881.

II² besorgt von H. Dessau und A. v. Domaszewski. Leipzig 1884.

III² besorgt von G. Wissowa. Leipzig 1885.

Mommsen hist. Schr.: Gesammelte Schriften von Theodor Mommsen. IV, V = Historische Schriften I, II. Berlin 1906. 1908.

Mommsen St.-R.: Römisches Staatsrecht I. II 1, 2. III. 3. Auflage. Leipzig 1887.

Pallu de Lessert: Fastes des provinces Africaines (proconsulaire, Numidie, Maurétanie) sous la domination Romaine par A. Clément Pallu de Lessert. I. II. Paris 1896. 1901.

Pfitzner Kaiserlegionen: Geschichte der römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrianus von Dr. W. Pfitzner. Leipzig 1881.

PIR: Prosopographia imperii Romani saec. I. II. III. Berol. 1897—98. I ed. E. Klebs. II ed. H. Dessau. III edd. P. de Rohden et H. Dessau.

PW: Paulys Realencyclopaedie der klassischen Altertumswissenschaft. Neue Bearbeitung unter Mitwirkung zahlreicher Fachgenossen hrsg. von Georg Wissowa. I—VII 1. Stuttgart 1894—1910.

Schiller: Geschichte der römischen Kaiserzeit. I 1, 2. Gotha 1883.

Praefatio.

Primus Pighius in annalibus[1]) ex fontibus nomina aedilium colligere et apte disponere conatus est. Quae quamquam diligenter congessit, tamen, ut ait Schubert,[2]) *veluti operarius laboriosus conquirendive cupidissimus, qui usquam in scriniis locum vacuum aspicere anxie vereretur, ex Romanorum gentibus nobilissimis nomina, quae posterius in magistratibus superioribus occupata repperit, collegit, ut iisdem apto quodam annorum intervallo retro computato aedilitatem sive plebeiam sive curulem attribueret, quibus mox dubitationis signum adhaereret, mox sine ulla auctoritate certum quendam adiungeret annum.*

His verbis auctoris de aedilitate explananda bene meriti rationem Pighii optime describi putamus.

Deinde Frid. Guilielmus Schubert in libro infra laudato tabulas aedilium restituit. Qui etsi multis erroribus Pighii correctis fontibusque summa cum diligentia examinatis semper solida fundamenta studiis subtilioribus de aedilitatis historia instituendis praebebit, tamen satis accurata notitia temporum rationis caruit nec semper respexit potuitve respicere eas condiciones, quibus cursus honorum teneri singulosque magistratus inter se distineri hodie compertum habemus.

Tum Franciscus Garofalo[3]) fastos aedilium plebis rei publicae Romanae liberae redintegrare studuit iam antea

1) Stephanus Vinandus Pighius, annales Romanorum, qui commentarii vicem supplent in omnes veteres historiae Romanae scriptores opera Andreae Schotti recensitus, tomi III. Antverpiae 1599—1615.

2) Frid. Guilielmus Schubert, de Romanorum aedilibus libri IV. Regimontii 1828 p. 276.

3) Francesco Garofalo, I fasti degli edili plebei della romana repubblica. Appendice ai Fasti dei tribuni plebei. Catania 1891.

fastis tribunorum plebis editis. Qui magna cautione in constituendis annis usus non ea, qua par est, cura atque opera inter aediles plebeios et curules distinxit neque rationem habuit titulorum, qui tum eruderati erant.

Hi viri docti nomina aedilium a scriptoribus tradita conquirere et componere satis habuerunt atque plane neglexerunt vel strictim tantum commemoraverunt tamquam rem raritate notabilem titulos, qui nunc collati magnifico illo opere a Theodoro Mommsen incohato talem praebent fructum, ut cum suppeditent fontem uberrimum notitiae antiquitatum Romanarum tum aliquanto auxerint numerum virorum aedilitate functorum non modo temporibus imperii sed etiam aetate rei publicae liberae. Neque Hector de Ruggiero[1]) nomina aedilium inscriptionibus lapidum et nummorum servata, quorum scilicet numerus his quattuordecim annis nonnihil amplificatus est, litterarum ordine disponere omisit.

Nobis primo in animo fuit fastos aedilium quotquot innotuerint et rei publicae liberae et imperii colligere annorumque ordine conserere, quamquam nobis haud facile contingere posse non ignorabamus, ut tabulas restitueremus continuas integrasque tamquam simulacrum praebentes illorum fastorum, qui repositi erant in tabulario aedilium. At tamen id quoque operae pretium esse censuimus singulis aedilibus quam fieri posset accuratissime tempori certo adscriptis examinare, quatenus pro certo habere liceat et quomodo corrigenda vel supplenda sint ea, quae disputaverunt de aedilitate eiusque loco in cursu honorum viri docti.

Atque nobis iamiam ad illius operis limam progressis occurrit dissertatio superiore anno ab Josepho Seidel[2]) in publicum prolata, qui optime omnia, quae de aedilibus rei publicae liberae disputata invenit, complexus fastos confecit, quibus locupletiores vix restitui possunt, etsi nobis passim

---

1) Dizionario epigrafico di antichità Romane I. Roma 1895 p. 219. 222. 226. 228.

2) Fasti aedilicii von der Einrichtung der plebeischen Aedilität bis zum Tode Caesars. Inauguraldissertation. Breslau 1908.

nimis sagaciter rem instituisse videtur, ubi tutius fuisse putamus ignorantiam ingenue profiteri. Itaque restabat, uti conferremus quidquid de aedilibus imperii Romani explorari potuit.

Extremis rei publicae liberae temporibus quotannis quattuor aediles creabantur, quorum duo aediles plebei e plebe, duo curules promiscue sive e patribus sive e plebe sumebantur neglecta post annum a. Chr. n. fere nonagesimum illa lege, qua, ut exposuit Mommsen,[1]) annis paris numeri plebei, imparis patricii illum magistratum capessiverant. Atque C. Iulius Caesar, ut numerum praetorum et quaestorum ampliavit, ita etiam collegio aedilium duos magistratus adiunxit, quos aediles plebis Ceriales nominatos primum in annum 710 = 44 creatos esse traditum invenitur.[2]) Qui numerus ab imperatoribus neque auctus neque minutus esse videtur, ita vero, ut Augustus tribunatum plebis et aedilitatem uno gradu honorum complexus plebeis solis gerenda redderet. Quae lex, quam non multo post pugnam Actiacam et ante annum 736 = 18[3]) constitutam esse constat, quamquam expresso testimonio non confirmatur, tamen optimo iure perspecta est e locis Dionis[4]) et Vellei[5]) atque e titulis, quippe qui paucis exceptis[6]) in cursu honorum aut aedilitatem aut

1) Roemische Forschungen I². Berlin 1864, p. 97 seqq.

2) Dio XLIII 51, 3 vide p. 23. Suet. Caes. 41, 1: Senatum supplevit, patricios adlegit, praetorum, aedilium, quaestorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliavit. Gell. XVI 7, 12 (facete dictum Laberii): Duas uxores? hercle hoc plus negoti est, inquit cocio; sex aediles viderat. Pompon. Dig. I 2, 2, 32: Deinde Gaius Julius Caesar duos praetores et duos aediles, qui frumento praeessent et a Cerere Cereales constituit. Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati.

3) Mommsen St.-R. I 556.

4) Dio LII 20, 2: (Maecenas proposuit) . . . *ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν, τριακοντοῦται γενόμενοι.*

5) Vell. II 111, 3: Finita equestri militia designatus quaestor necdum senator aequatus senatoribus, etiam designatis tribunis plebei, partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium eius.

6) Vide nr. 4. 5. 58. 59. Conferatur p. 11 (a. p. Chr. n. 5).

tribunatum exhibeant et homines e patribus ortos e quaestura nullo alio magistratu intercedente ad praeturam processisse demonstrent. Neque e numero illarum stirpium, quas patricias fuisse saeculis I. II. III. imperii Romani demonstravit Carolus Heiter,[1] una inveniri potuit, cui certo attribuatur homo aedilicius.[2]

Iam omissis omnibus quaestionibus, quomodo officia aedilium per primum atque alterum p. Chr. n. saeculum mutata vel ad alios magistratus delata sint, quarum rerum argumenta satis illustraverunt cum Frid. Guilielmus Schubert[3] tum Fridericus Hofmann,[4] pauca disseremus de exitu aedilitatis.

Atque extremum auctorum testimonium, quod quin verum sit non est quod dubitemus — leviora enim sunt, quae ad a. p. Chr. n. 237 tradiderunt scriptores historiae Augustae[5] atque Ausonium[6] aedilitatis non quasi rei tum usitatae sed e rerum

---

1) De patriciis gentibus, quae imperii Romani saeculis I. II. III. fuerint. Dissertatio inauguralis. Berol. 1909.

2) De C. Papirio Massone aedile plebis, qui ceterum ut ante novam illam legem de aedilitate gerenda Augusti aedilis fuerit fieri potest, conferatur p. 9. M. Claudius Fronto circa a. 150 aedilis curulis fuit; M. Claudium Frontonem Neocydem, cum inter Salios Palatinos cooptatus sit a. 170, patriciis ascribit Heiter l. c. p. 11 nr. 53. Qui quoniam iidem esse non possunt — M. Claudium Frontonem enim aedilem anno fere 170 mortuum esse satis comprobatur — utrum re vera Fronto aedilis patricio genere fuerit an Claudii Frontones intra annos 150 et 170 inter patres sublecti sint, diiudicari nequit.

3) l. c. p. 204 seqq.

4) De aedilibus Romanorum. Berolini 1842.

5) Vit. Gord. 11, 1: Interest, ut senatus consultum, quo Gordiani imperatores appellati sunt et Maximinus hostis, litteris propagetur. Non legitimo sed indicto senatus die consul iam domi conventus cum praetoribus aedilibus et tribunis plebis venit in curiam. Vit. Max. et Balb. 10, 1: Maximo igitur ad bellum profecto senatus per omnes regiones consulares praetorios quaestorios aedilicios tribunicios etiam viros misit . . . Conferatur vit. Gordian. 3, 5.

6) de fer. 31 seqq. p. 105, 21 Peip: Aediles etiam plebi aedilesque curules sacra Sigillorum nomine dicta colunt. — Quae quamvis tempore praesenti adhibito narrentur, non minus ad aetatem remotiorem spectasse censeo quam lud. VII sap. II 14 p. 170, 18 Peip: Aedilis olim scaenam tabulatam dabat subito excitatam nulla mole saxea.

memoria mentionem facere pro certo habemus — praebet Cassius Dio LXXIX, 22. 2 (ad annum 217): *Δομίτιός τέ τις Φλῶρος περιδρομῇ θεραπείας πρὸς σπουδαρχίαν, καίτοι πρότερόν ποτε τὰ τῆς βουλῆς ὑπομνήματα διὰ χειρὸς ἔχων καὶ ἀγορανόμος ἐπ' αὐτοῖς ἀποδειχθῆναι ὀφείλων, εἶτα πρὶν ἄρξαι τῆς ἐλπίδος διὰ Πλαυτιανὸν ἐκπεσών, κατεστήσατο καὶ δήμαρχος ἀπεδείχθη.*

Quo cum ultimo auctorum testimonio conferamus novissimos, qui aedilitatem exhibent, titulos quaerentes, cui tempori adscribendi sint.

Ac primum quidem annis fere 200—220 certo attribuuntur C. Porcius Priscus Longinus (nr. 88) aedilis curulis et Q. Herennius Silvius Maximus (nr. 47) aedilis plebis Cerialis. Deinde L. Iulium Apronium Maenium Pium Salamallianum (nr. 89) intra annos fere 220—230 aedilitatem curulem, C. Luxilium Sabinum Egnatium Proculum (nr. 49) circa a. 225 aedilitatem Cerialem gessisse vix quisquam negabit. Denique quin M. Antonius Memmius Hiero (nr. 90) aedilis curulis fuerit inter annos 225—235 dubitari nequit, siquidem is, ad quem pertinet titulus Graecus IGR III 238, non alius est atque M. Antonius Memmius, legatus Augusti pro praetore Cappadociae Philippis imperatoribus. Neque vero perinde definire licet, quibus annis Censorinus (nr. 121) et ille, cuius nomen vel cognomen a literis *Ant* . . . incipit (nr. 23), aedilitatem gesserint. Censorinus enim, quem hunc magistratum, si modo gessit, intra annos 230 et 240 capessivisse ratiocinati sumus, num aedilis fuerit, plane incertum est, et ignoti illius aetas imperatoris cuiusdam nomine eraso definitur, cuius vestigia perobscura si C. Iulium Verum Maximinum indicant, aedilitatis annum fere 226, sin autem C. Vibium Trebonianum Gallum, quod nobis quidem e reliquiis litterarum verisimilius videtur esse, significant, annum quendam circa a. 240 comprobant.

Quae cum ita sint, satis habemus statuere temporibus Alexandri Severi (222—235) extrema certa aedilitatis vestigia apparere, etsi non desunt, quae ad tempora etiam paulo posteriora referri possint.

Quod enim Mommsen[1]) putat magistratus tribunatus aedilitatisque e cursu honorum sublatos esse illa lege, qua Alexander decrevit[2]) *quaestores candidatos ex sua pecunia munera populo dare, sed ita, ut post quaesturam praeturas acciperent et deinde provincias regerent*, iure refutavisse censemus Stephanum Brasloff.[3])

Priusquam autem ad rem ipsam aggrediamur, breviter enarremus, quid censendum esse nobis videatur de adlectione inter aedilicios et de ornamentis aediliciis.

Atque imperatores inter aedilicios adlegisse, etsi haud ita crebro accidisse videtur ut inter quaestorios et praetorios, nunc duobus exemplis comprobare licet:

I. **Ti. Iulius Celsus Polemaeanus.** a. p. Ch 70—

Nomen et cursum honorum ostendit titulus Ephesius bilinguis nuper editus.[4])

Fuit consul, proconsul Asiae, tribunus legionis III Cyrenaicae, adlectus inter aedilicios ab divo Vespasiano, pro praetore legatus Augustorum divorum Vespasiani et Titi provinciarum Cappadociae et Galatiae, Ponti, Pisidiae, Paphlagoniae, Armeniae minoris, legatus divi Titi legionis IV Scythicae, proconsul Ponti et Bithyniae, praefectus aerarii militaris, legatus Augusti provinciae Ciliciae, quindecimvir sacrorum faciundorum, curator aedium sacrarum et operum locorumque publicorum populi Romani.

Iulium, qui circa a. 80 legatus legionis IV fuit, e legationibus summatim in titulo nominatis ad minimum unam sub Vespasiano gessisse oportet, qua de causa inter annos fere 70 et 76 in numerum aediliciorum receptus est ita, ut eum prioribus huius spatii annis illo honore affectum esse verisimile videatur.

---

1) Roem. St.-R. I 559.

2) Vit. Alex. 43, 3.

3) Herm. XXXIX 618 seqq.

4) Jahreshefte des Österreich. Archäol. Inst. VII 1904 Beiblatt p. 56.

II. **C. Iulius Iulianus.** a. p. Chr. n. 117—135.

Tit. Blerae repertus CIL XI 3337: C. Iulio C. f. Pal. Iuliano praetori quaest(ori) provinciae Baetici (!) adlecto a divo Hadriano inter aedilicios praef(ecto) eq(uitum) trib(uno) mil(itum) praef(ecto) c(o)ho(rtis) quattuorvir(o) quinquennali iur(i) dic(undo) [m]unicipii.

Honores subconfuse in titulo videntur enumerati esse.

Marcum quoque imperatorem illo iure usum esse comprobatur vit. Anton. philos. 10, 3 seqq.: *Multos ex amicis in senatum adlegit cum aediliciis aut praetoriis dignitatibus. Multis [senatibus vel] pauperibus sine crimine senatoribus dignitates tribunicias aediliciasque concessit.*

Quibus verbis, quamvis non integra tradita sint, ornamenta aedilicia denotari patet, Mommsenumque[1]) huius loci ea sola de causa rationem non habuisse putamus, quod omnino dubitabat de fide auctoris. Neque tamen negari potest ornamenta aedilicia donata esse ab imperatoribus duabus inscriptionibus Africanis[2]) collatis, in quibus utrobique truncatis aetate Ti. Claudii Caesaris Crassus quidam aediliciis ornamentis honoratus ita commemoratur, ut quoniam seiuncta a magistratibus municipalibus enumerantur haec ornamenta, nisi de honore rei publicae Romanae cogitari non possit.[3])

1) Roem. St.-R. I 464 n. 7.

2) CIL VIII 1478 = 15503. 15519.

3) Ipse Mommsen, qui St.-R. I 464 ornamenta aedilicia nulla fuisse contendit, in adnotatione ad tit. CIL VIII 15503 illa ornamenta ad aedilitatem Romanam referenda esse concessit.

I.

Fasti aedilium plebis.

1. **M. Volusius.** a.711=43

Val. Max. VII 3, 8: M. Volusius aedilis plebis proscriptus adsumpto Isiaci habitu per itinera . . . in M. Bruti castra pervenit.

App. b. c. IV 47: *Οὐολούσιος δὲ ἀγορανομῶν προεγράφη καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων ᾔτησε τὴν στολὴν . . . καὶ διῆλθεν . . . ἐς Πομπήιον.*

Aediles non creati sunt. a.718=36

Dio XLIX 16, 2: *Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει οὔτ' ἀγορανόμος τις ἀπορίᾳ τῶν αἱρεθησομένων ἐγένετο, ἀλλ' οἱ στρατηγοὶ οἵ τε δήμαρχοι τὰ προσήκοντα αὐτοῖς ἔπραξαν.*

2. **A. Cottius.** Primis principatus temporibus.

CIL VI 1396 = 31644 Romae repertus: Cottia A. Cotti f. Galla testamento fieri iussit A. Cottio patri proco(n)s(uli) Hispaniae et Pacullae matri et A. Cottio fratri quaestori aed(ili) plebi et Memmiae Gallae Aviae . . .

Hoc nomen quia gentilicii loco nusquam reperitur, e formis modo literarum circumscribi potest, cui aevo attribuendus sit ille aedilis. Apposuit Groag[1]) ineunti principatui.

3. **M. Cusinius.** Primis principatus temporibus.

CIL XIV 2604 (Tusculi): M. Cusinius M. f. Vel. aed(ilis) pl(ebis) aerario praef(ectus) pr(aetor) . . .

1) PW IV 1678.

Klebs[1]) verbis *aerario praefectus* magistratum praefecti aerarii Saturni significari ratus hunc Cusinium praefectum posuit inter annos 727 = 27,[2]) quo instituerat Augustus illum novum magistratum, et 731 = 23,[3]) quo tradita est procuratio aerarii Saturni praetoribus. Mommsen[4]) et Dessau[5]) inscriptionem primis principatus temporibus exaratam esse censent, quorum hic vocibus *aerario praefectus* non praefecturam aerarii Saturni sed magistratum quendam ignotum ostendi existimat. Quocum congruit, quod praetorii illo munere fungi solebant, ex ordine autem honorum in lapide inscriptorum Cusinius aedilitate gesta ante praeturam praefectus fuisse videtur. Quae etsi forsitan neglegentia quadratarii acciderint, tamen evidenter comprobari nequit inter annos 27 et 23 praefecturam Cusinii ponendam esse, qui quin primis principatus temporibus vixerit dubium non est.

4. **C. Papirius Masso.** Primis principatus temporibus.

CIL VI 1480 et 1481 (Romae): . . . C. Papirius C. f. Vel. Masso tr(ibunus) mil(itum) aed(ilis) pl(ebis) q(uaesitor?) iud(ex) cur(ator) fru(menti).

Mommsen[6]) adnotat inscriptionem antiquis literis scriptam extremis rei publicae liberae vel primis principatus temporibus attribuendam esse. Neque tamen comparare licet magistratum curatoris frumenti in titulo perscriptum cum curatoribus frumenti, quos instituit Augustus anno 732 = 22,[7]) quo munere praetorii fungebantur, sed munus quoddam extraordinarium significari videtur non diversum ab eo, quod CIL VI 1460 = XIV 2264 commemoratur, quem titulum aetatis Caesaris Augusti esse alia de causa constat.

1) PIR I p. 488 nr. 1329.
2) Tac. ann. XIII 29. Suet. Aug. 36. Dio LIII 2, 1.
3) Tac. l. c. Suet. l. c. Dio LIII 32, 2.
4) St.-R. II 558 n. 1.
5) CIL l. c.
6) Herm. IV 364 n. 2 = hist. Schr. I 193 n. 2.
7) Dio LIV 1, 4. PW IV 1779.

Ut homo patricia e gente ortus[1]) ad plebem transisse videtur.

Aediles non creati sunt. a.726=

Dio LIII 2, 2: *Οὕτω γὰρ δὴ πολλοί σφων* (sc. *τῶν βουλευτῶν*) *πένητες ἐγεγόνεσαν, ὥστε μηδ' ἀγορανομῆσαί τινα διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἀναλωμάτων ἐθελῆσαι, ἀλλὰ τά τε ἄλλα καὶ τὰ δικαστήρια τὰ τῇ ἀγορανομίᾳ προσήκοντα τοῖς στρατηγοῖς, καθάπερ εἴθιστο, τὰ μὲν μείζω τῷ ἀστυνόμῳ τὰ δὲ ἕτερα τῷ ξενικῷ προσταχθῆναι.*

5. Sex. Pacuvius Taurus. a. 729= vel bre post.

Plin. h. n. XXXIV 22: Equidem et Sibyllae (statuam) iuxta rostra esse non miror, tres sint licet: una, quam Sextus Pacuvius Taurus aedilis plebis restituit, duae, quas M. Messalla.

Hic Pacuvius, qui a compluribus scriptoribus commemoratur, tribunus plebis fuerat anno 727 = 27.[2]) Itaque anno 729 = 25 vel brevi post — illis enim annis novas leges de magistratibus capessendis Augustus instituisse putatur — aedilis fuit.

C. Calpurnius.

6. Dio LIII 33, 3: *Καὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει ἀγορανόμον* a.731= *τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γάιος Καλπούρνιος, καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι, διεδέξατο, ὅπερ ἐπ' οὐδενὸς ἄλλου μνημονεύεται γενόμενον.*

Id tantum singulare est secundum Dionem, quod Calpurnius primum curulem, tum plebeiam aedilitatem capessivit. Nam qui plebeia aedilitate ante curulem functi sint, tres innotuerunt viri:

C. Terentius Varro (cos. a. 538 = 216).
C. Servilius (aed. pl. a. 545 = 209,[3]) aed. cur. a. 546 = 208).
Ignotus (CIL VI 1330).[4])

1) Mommsen Roem. Forsch. I 116.
2) Dio LIII 20, 2. Macrob. Sat. I 12, 35.
3) Alter etiam huius anni aedilis plebei Q. Caecilius Metellus a. 546 = 208 aedilitatem curulem gessisse putatur. Conferatur Seidel l. l. p. 26.
4) Mommsen St.-R. I 551 n. 2.

7. **M'. Vibius Balbinus.** a. p. Chr. n. fere 1—10.

Tit. CIL IX 5645 Treiae repertus: M'. Vibio. M'. f. Vel. Balbino tr(ibuno) mil(itum) pr(aefecto) fabr(um) pr(aefecto) eq(uitum) q(uaestori) aed(ili) pl(ebis) praet(ori) aerari leg(ato) divi Augusti et Ti(beri) Caesaris Aug(usti) proco(n)s(uli) provinc(iae) Narbonensis.

Cum Vibium a. p. Chr. n. 14 legatum fuisse eluceat, vix erramus eius aedilitatem primo decennio primi p. Chr. n. saeculi tribuentes.

Aediles sorte ducti sunt. a. p. Chr. n. 5.

Dio. LV 24, 9: . . . *ἐπειδή τε μηδεὶς ἀγορανομῆσαι ἑκὼν ἤθελεν, ἠναγκάσθησαν ἔκ τε τῶν τεταμιευκότων καὶ ἐκ τῶν δεδημαρχηκότων κλήρῳ τινὲς αὐτὸ ποιῆσαι, καὶ τοῦτο καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγένετο.*

8. **Postumus Mimisius Sardus.** circa a. 10—33.

Tit. CIL XIV 3598 (Tibure): Post(umus) Mimisius C. f. Sardus tr(ibunus) mil(itum) q(uaestor) aed(ilis) pl(ebis) pr(aetor) legatus Ti(beri) Caesaris Aug(usti) proco(n)s(ule) prae[f](ectus frumenti dandi ex s(enatus) c(onsulto).

Mimisius, quoniam legatus Tiberii vocatur, e legibus annalibus post a. 10 et ante a. 33 aedilitatem gessisse videtur.

9. **M. Vettius Valens (?)** circa a. 50—100?

Tit. Ariminensis CIL XI 383: M. Vettio M. f. An. Valenti quaestori provinc(iae) Macedon(iae) quaestori pleb(is) seviro eq(uitum) [R]om(anorum) praet(ori) leg(ato) provinc(iae) [N]arbonens(is) [iurid(ico)] provinc(iae) Britan(niae) [leg(ato)] leg(ionis) XV Apollinar(is) provincia Britannia patrono.

Titulus deperditus, cum semel modo descriptus sit, num re vera voces *quaestori plebis* exhibuerit dubitatur. Atque Borghesi corrigi voluit *aedili* pro *quaestori*, haesitaverunt a Rohden et Dessau,[1]) utrum *tribuno* pro voce *quaestori* ponendum esset an interponendum intra verba *quaestori* et *plebis*, quam

---

1) PIR III p. 414 nr. 344.

coniecturam Mommsen probavisse videtur; adnotat enim CIL l. l.: *equidem magis scripserim* quaest(ori) [t]ri[b](uno) pleb(is) *referens titulum inter exempla quaesturae duplicis provincialis et urbanae, de quibus egi Staatsrecht* II 248.

Cui sententiae obstare putamus, quod vix, si Vettius quaesturam provincialem et urbanam gessisset, quaestura altera nude enumerata esset nulla voce definitiva addita. Qua de causa neglegentia quadratarii vel librarii pro *tribuno* aut *aedili* quaesturam in ordine honorum enumeratam esse existimamus, quorum magistratuum utrum obtinuerit Valens e ceteris honoribus nominatis discerni nequit.

In dubio huius inscriptionis tempus reliquit Liebenam,[1]) Levison[2]) hunc Vettium filium haberi M. Vettii Valentis procuratoris Iudaeae a. 66 adnotavit. Quae si ita sunt, cursus honorum M. Vettii Valentis minoris natu alteri primi p. Chr. n. saeculi dimidio attribuendus est.

10. **M. Cl . . .** circa a. 60?

CIL V 4326 (Brixiae): M. Cl . . . aed(ilis) p[l](ebis) . . . trib(unus) mil(itum) . . . V Maced(onicae) . . .

Nescimus quo ordine magistratus enarrentur. Post litteras *aed. p* . . . et *trib. mil.* compluria verba excidisse e forma apidis colligitur. Sive recto sive inverso ordine munera exhibentur, *[legatus legionis] V Macedonicae* male completur. At tamen nihil aliud invenitur, quod melius reliquiis tituli conveniat. Quae cum ita sint extra ordinem honores enumeratos esse censuimus.

Atque cum legio V Macedonica anno 70 Vitellii partes secuta ab Antonio Primo duce Vespasiani exercitus inter Bedriacum et Cremonam victa et trucidata sit,[3]) titulum autem ipsum prope ab huius pugnae loco Brixiae repertum esse constet, ignotum illum virum, ad quem pertinet inscrip-

1) Forsch. p. 299.
2) Fasti praetorii nr. 1092.
3) Tac. hist. III 22—25.

tio, hac in pugna necatum vel graviter vulneratum Brixiae mortuum esse haud ineptum visum est.

Itaque virum ignotum circa a. 60 aedilitatem gessisse putamus, cui scilicet coniecturae signum dubitationis adiungi volumus.

11. **Sex. Sentius Caecilianus.** fere 60—70.

CIL IX 4194 (Amiterni): [Sexto Se]ntio Sex(ti) f. Caeciliano [Xvir(o) st]l(itibus) iud(icandis) tr(ibuno) mil(itum) leg(ionis) VIII Aug(ustae) [q(uaestori) pro pr]aet(ore)[1]) aed(ili) pl(ebis) praet(ori) [leg(ato) p]r(o) pr(aetore) prov(inciae) . . . [cur(atori) a]lvei Tib(eris) et ripar(um) l[eg(ato) l]eg(ionis) XV Apollina[r(is)] . . . g leg(ato) pr(o) pr(aetore) utriusq(ue) Mauretan(iae) . . . co(n)s(uli) arbitratu . . . r uxor et Atlantis li[b](ertus).

Nomen praeterea praebetur in duobus milliariis Africanis: CIL VIII 10165 = 22172: / / / / / / / / / / Ve[spas]ia / / / / Aug / / / / io / / / r / / / pc / / / f / o [S]ex(to) Sentio / / / / Caeciliano le[g](ato) Aug(usti) pro pr(aetore) IIII.

Comptes rendus de l'Acad. des inscr. 1894 p. 46: Ex auct(oritate) imp(eratoris) [V]espasiani Au[gusti patris] p(atriae) fines [provinci]ae no[v]ae et veter(is) de[re]cti qua fossa afuit per Rutiliu[m G]allicum co(n)s(ulem) pon[tificem et] Sentiu[m] Caecil[ia]nu[m] pr[a]etore[m l]egatos Aug(usti) . . . f . . . d . . .

Quibus e titulis intellegitur Sentium legatum imperatoris Vespasiani in Africa una cum Rutilio Gallico legato consulari fines provinciae Africae veteris et novae constituisse. Rutilius Gallicus nobis e compluribus titulis notus a Statio et Iuvenali commemoratur,[2]) qui fasces tenuisse videtur primis Vespasiani annis. Ita honoribus, qui in priore inscriptione exstant, computatis Sentii aedilitatem septimo decennio attribuimus.[3])

---

1) sive *[q(uaestori) provinciae B]aet(icae)* coniecit Mommsen.

2) PIR III p. 148 nr. 167.

3) Pallu de Lessert fastes I 325.

12. **. . Tullius Varro.** circa a. 7

Tit. CIL XI 3004 (in agro Viterbiensi): . . . Xviro stlitib(us) [iudic(andis)] . . . tr(ibuno) mil(itum) leg(ionis) VIII bis August(ae) q(uaestori) urbano pro q(uaestore) provinc(iae) Cretae et Cyrenarum aedili pl(ebis) pr(aetori) legato divi Vespasiani leg(ionis) XIII Geminae proco(n)s(uli) provinc(iae) Macedoniae P. Tullius Varro optimo patri.

Cognomen bis Augustae, quod hoc solo loco invenitur, inde legionem cepisse censet Bormann, quod res bene gesserit contra Sarmates et Roxolanos a. 70, quo donis militaribus ornabantur cum alii tum legatus legionis VIII.[1]) Quocum convenit, quod postea in titulo traditur Tullium circa a. 77 legatum legionis fuisse.

13. **L. Iulius Marinus Caecilius Simplex.** a. fere 85—90

Honores plene enumerantur in titulo Curensi CIL IX 4965. Praeterea hoc de viro duo extant tituli Lycii magnam in partem truncati CIG III 4238 c = IGR III 554 et IGR III 470, quorum alter solus (IGR III 470) aedilitatem exhibet. Memoratur in titulo uxoris CIG III 4237 = IGR III 562 et in actis fratrum Arvalium annis 91 et 101.[2])

Fuit quattuorvir viarum curandarum, tribunus militum legionis IV Scythicae, quaestor pro praetore provinciae Macedoniae, aedilis plebis, praetor, legatus pro praetore provinciae Cypri, legatus pro praetore provinciae Ponti et Bithyniae proconsulatu patris sui, curator viae Tiburtinae, legatus Augusti legionis XI Claudiae piae fidelis, legatus imperatoris Nervae Traiani Augusti Germanici provinciae Lyciae et Pamphyliae, proconsul provinciae Achaiae, consul.

Marinum cum L. Arruntio Stella consulem suffectum fuisse docetur inscriptione CIL VI 1492, fidemque habet sententia a Mommseno prompta,[3]) qui illos consulatum inisse

1) Tac. hist. I 79.
2) Henzen acta fratrum Arvalium p. 189.
3) Herm. III 123. 137 = hist. Schr. I p. 455.

putat a. 101.[1]) Annis magistratuum retro computatis aedilitas inter annos 85 et 90 ponenda esse videtur ita, ut eum a. 97 et insequentibus annis legatum Traiani et proconsulem Achaiae post consulatum fuisse opinemur.[2])

14. L. Aemilius Honoratus.

a. fere 98—112.

Nomen et honores inveniuntur in titulis Nemausensibus CIL XII 3164 et 3165 a, ad eundem refertur frustulum tituli Nemausensis CIL XII 5896.

Fuit triumvir capitalis, quaestor pro praetore Ponti et Bithyniae, legatus eiusdem provinciae, aedilis plebis, praetor, praefectus frumenti dandi ex s. c., proconsul provinciae Cretae et Cyrenarum. Hic hos honores beneficio optumi principis maturius, quam per annos permitti solebat, gessit.

Nomine optumi principis Traianum significari iam Vincentem censuisse adnotat Hirschfeld ad tit. CIL XII 3164. Quod cognomen cum circa a. 103 inditum esse videatur imperatori,[3]) inter a. 103 et 117 titulum exaratum esse collegimus.

Itaque quod eum intervallis minutis vel omnino remissis singulos magistratus continuo gessisse docetur, inter annos 93 et 112 Aemilium aedilem fuisse probabitur, siquidem iure cognomen optimi principis ad Traianum refertur.

15. Ti. Claudius Quartinus.

inter a. fere 105—110.

Huius viri titulis bene noti aedilitas commemoratur in titulo Lugdunensi CIL XIII 1802: Ti(berio) Claud(io) Ti(beri) fil(io) Pal. Quartin(o) trib(uno) mil(itum) leg(ionis) III Cyrenaicae, adlecto ab divo Traian(o) Parthic(o) in splendidissim(um) ordin(em) q(uaestori) ur[b]an(o) [VII vir(o) epul]oni aed(ili) pleb(i) praetori leg(ato) pro pr(aetore) provinc(iae) Asiae leg(ato) divi Traiani Parthic(i) et imp(eratoris) Caes(aris) Traiani Hadriani Aug(usti) [i]ur[idi]c(o) prov(inciae) Hispan(iae) citerior(is) Tarra[con(ensis) praep(osito) vex(illa-

1) Klein l. c. p. 53.

2) Praeturam Iulii Marini apposuit Levison nr. 680 anno 93.

3) Schiller I 2, 545 n. 5.

tionum)?] iussu imp(eratoris) Hadriani Aug(usti) [leg(ionis) II Traian(ae)] fort(is) et III Cyre[naic(ae) . . .] .

Claudium legatum Tarraconensem fuisse a. 119 patet e titulo Tarraconensi CIL II 2959.[1]) Quam inter legationem et aedilitatem quos gessit honoribus computatis Claudium inter annos fere 105 et 110 adilem fuisse censemus.

16. **L. Burbuleius Optatus Ligarianus.** a. fere 1

Honores in titulo Minturnis reperto CIL X 6006 inverso ordine exhibitos hos gessisse putatur: Triumvir capitalis, tribunus laticlavius legionis IX Hispanae, quaestor Ponti et Bithyniae, aedilis plebis, praetor, curator viarum Clodiae Cassiae Ciminae, curator rei publicae Narbonensium item Anconitanorum item Tarricinorum, legatus legionis XVI Flaviae Firmae, logistes Syriae, proconsul Siciliae, praefectus aerarii Saturni, consul, curator operum locorumque publicorum, legatus imperatoris Antonini Augusti Pii et divi Hadriani pro praetore provinciae Cappadociae, legatus Antonini Pii pro praetore provinciae Syriae, in quo honore decessit.

Legatus Cappadociae fuit anno 137 exeunte vel 138 ineunte, quoniam, ut docet Klebs,[2]) Cappadociae a. 137 praefuit Flavius Arrianus. Atque cum tribunus legionis IX Hispanae fuerit, quae extremis Traiani vel primis Hadriani temporibus perisse ab omnibus putatur,[3]) ante annum fere 120 tribunatum gessit. Nec minus Burbuleium initio imperii Hadriani quaestorem provinciae Ponti et Bithyniae fuisse oportet.[4])

Tum spatiis, quibus singuli magistratus in titulo nominati inter se distinebantur, computatis Burbuleium circa a. 122 aedilitate functum esse apparet. Ceterum luculenter hoc de Burbuleio egit Borghesi.[5])

1) De honoribus, quos postea accepit, et de consulatu conferantur PIR I p. 395 nr. 782 et quae disseruit O. Hirschfeld ad tit. CIL XIII 1802.

2) PIR I p. 243 nr. 151.

3) Pauly Realencyclopaedie IV 889 (Grotefend). Huebner Herm. XVI 535. Pfitzner Kaiserlegionen 248.

4) Liebenam Forsch. p. 125.

5) op. IV 103 seqq.

17. **M. Cornelius Fronto.** circa a. 138.

Honores huius clari oratoris et grammatici exhibentur in inscriptione Calamensi Numidiae CIL VIII 5350: triumvir capitalis, quaestor provinciae Siciliae, aedilis plebis, praetor.

Consulatum gessit per duos menses anni 143,[1]) et cum eum Hadriano imperante quaestorem fuisse in ep. Frontonis II 1 (p. 25 Naber) doceatur, ante a. 113 natus est; Mommsen[2]) Cornelium inter annos 100 et 110 natum esse censet, quocum congruit quod refert Dio,[3]) qui Frontonem circa a. 136 causidicum floruisse tradit. Quae si cum anno consulatus conferuntur, Cornelium primis Antonini temporibus aut extremis Hadriani aedilem fuisse probatur.[4])

18. **Ignotus.** inter a. fere 150—160.

Titulus acephalus Ancyranus CIL III 254 hosce praebet honores: (tribunus militum) legionis III Augustae, quaestor, aedilis plebei, praetor, proconsul Ponti et Bithyniae, praefectus frumenti dandi, legatus legionis VI Ferratae, legatus Augustorum pro praetore provinciae Galatiae item provinciae Ciliciae.

Ciliciam Hadriano demum imperante a Syria seiunctam propriamque provinciam factam esse aliis e titulis elucet.[5]) Hic vir ignotus nominatur legatus Augustorum, quo fratres Augustos M. Aurelium et L. Verum significari Brandis[6]) censuit adversante Hermanno Dessau,[7]) qui dicit: *sed potest cogitari de imperatore et successore eius, praesertim cum non ‚Augg.' scriptum sed Augustorum vocabulum perscriptum sit.* Marquardt[8]) de Septimio et Caracalla cogitavit.

1) Klein f. c. p. 69.

2) Herm. VIII 216 = hist. Schr. I p. 486 contra Naberum (ed. p. XX), quem secutus est Levison nr. 1038, qui M. Cornelium a. 139 quinquagenarium fuisse censet.

3) LXIX 18, 3.

4) PW IV 1315. Klein Verw. p. 167.

5) Marquardt I 388.

6) Herm. XXXI 165.

7) PIR III p. 498 nr. 18.

8) I 354 n. 2.

Multo autem aptius ceteris ex honoribus, qui enumerantur, titulum prioribus temporibus adscribi rati Brandisium secuti sumus et inscriptionem ad aetatem fratrum Augustorum rettulimus, praesertim cum exemplis comprobare liceat, verbo *Augustorum* perscripto passim M. Aurelium et L. Verum significari.[1])

Ita ignotus, quia inter annos 161 et 172 legatus Augustorum fuit, inter annos fere 150 et 160 aedilitatem gessisse videtur.

Perrot,[2]) quem secutus est Liebenam,[3]) hunc titulum attribuit temporibus Caracallae.[4])

19. **L. Albinius Saturninus.** post a. 1

Honores reperiuntur in titulo Suessae reperto CIL X 4750. Fuit quaestor urbanus, aedilis plebis, praetor urbanus, legatus Augusti Asturiae et Callaeciae, praefectus aerarii Saturni, proconsul provinciae Achaiae, legatus Augusti pro praetore Ponti et Bithyniae provinciae, proconsul provinciae Asiae, consul, sodalis Antoninianus.

Cum sodalitas Antoniniana anno 161 instituta sit,[5]) post hoc tempus inscriptio exarata est. Neque omnino neglegenda sunt quae coniecit Muratori,[6]) qui Saturninum[7]) consulem anno 264 attribuit et ad eundem referri posse hanc inscriptionem adnotavit. Sed et cognomen Saturnini omnibus temporibus usitatum fuit et illis annis, qui aedilitati ex anno consulatus conveniunt, aedilitatem iam e cursu honorum remotam fuisse pro verisimili habetur.[8])

---

1) CIL III 1517. VIII 965. 8303.

2) Exploration archéologique de la Galatie et de la Bithynie . . . par G. Perrot, E. Guillaume et J. Delbet. I, Paris 1872 p. 228.

3) Forsch. p. 131.

4) De Galatia provincia Romana. Thesim proponebat facultati litterarum parisiensi G. Perrot. Paris 1867 p. 134.

5) Marquardt III 472.

6) Geschichte von Italien . . . aus dem Italiaenischen übersetzt . . . von Chr. G. Jöcher. Theil II. Leipzig 1745 p. 127.

7) Vit. Gallien. duor. 10, 1.

8) Klein f. c. p. 109 n. 2.

Apposuit Liebenam[1]) saeculo tertio Waddingtonium secutus, qui illum non ante annum 221 consulem fuisse censuit.

20. **L. Ragonius Urinatius Larcius Quintianus.** a. 170 vel brevi ante.

Honores plene extant in titulis Tarusino CIL V 2112, urbanis VI 1502. 1503; commemoratur in Opitergensibus CIL V 1968 (legatus legionis XIV) et 1969 (sodalis Hadrianalis). VI 1505, incertum utrum ipse an filius V 1971.

Fuit sevir, quaestor pro praetore provinciae Africae, aedilis plebis, praetor, praefectus frumenti dandi, iuridicus per Apuliam, proconsul provinciae Sardiniae, legatus legionis XIV Geminae, donis militaribus donatus ab imperatore Commodo Antonino Augusto, sodalis Hadrianalis, consul.

Titulos CIL V 2112. VI 1502. 1503 positos esse Commodo vivo, scilicet ante annum 193, ex inscriptionibus ipsis apparet.

Quamquam certis argumentis comprobari nequit, quo anno Quintianus legatus legionis XVI donis militaribus donatus sit, tamen id anno 180 factum esse suspicari licet,[2]) quo anno Commodus triumphavit de Marcomanis et Quadis,[3]) praesertim cum illa aetate legio XIV, cui praefectus Ragonius ornabatur, in Pannonia collocata fuerit.[4])

L. Ragonius igitur a. 170 vel nonnullis annis ante aedilis fuisse videtur.

Attribuit Cantarelli[5]) hunc magistratum imperio M. Aurelii.

21. **Barbius Fulvius Aemilianus.** inter annos fere 180—190.

Nominatur in titulo Aquilensi mutilato CIL V 864, ubi enumerantur honores inverso ordine: [B]arbio [F]ulvio Aemi-

1) Forsch. p. 237.

2) Klein Verw. 266.

3) Schiller I 2, 663.

4) Pauly Realencyclopädie IV 894. Marquardt II 446. Pfitzner Kaiserlegionen p. 148. 259.

5) La serie dei praefecti frumenti dandi. Bull. della comm. arch. comunale di Roma XXIII 225.

liano [pr]aetori [aedi]li plebis [q(uaestori) pr(o) p]r(aetore) provinc(iae) . . .

Eundem esse hunc Fulvium atque Fulvium Aemilianum, qui anno 206 consul fuit ordinarius cum M. Nummio Umbrio Primo Senecione, coniecit Borghesi.[1]) Qua de causa e cursu honorum tum usitato Barbium inter annos 180—190 aedilem fuisse conclusimus.

22. **M. Aurelius Seranus.** Initio s culi te

Reperitur in titulo Neapolitano Africae CIL VIII 971. Erat aedilis plebis designatus, quaestor provinciae Cretae.

Ediderunt Creully[2]) et Hefner,[3]) qui minus recte legit: *aedili et designato quaestori provinciae Cretae,* neque tamen aetatem constituerunt. Quae ut constituatur, cum desint alia vestigia, Gustavum Wilmanns secuti sumus, qui inscriptionem e litterarum formis attribuit ineunti tertio saeculo.

23. **Ant . . .** a. fere 2

Titulus Mactaritanus acephalus et valde truncatus CIL VIII 11810: . . . c? . . . i . . . vi . . . praef(ecto) aerario praes[idi provinc(iae) . . . adlecto inter co]nsulares ab imp(eratore) / / / / / / / [iuridico Flaminiae] et Umbriae praef(ecto) Min[iciae . . .]m Aug(usti) aedili plebi adl[ecto inter quaestorios . . . ordo populusque M]act(aritanus) ob insignem in pat[riam civesque singulo]s amorem et L. Ant[. . . Xviro] stlitib(us) iudic(andis) eq(uiti) R(omano) iuve[ni ob m]erita patris atq(ue) in ci[ves suos obsequentiam].

Nomen imperatoris, cum sit erasum, non accurate cognosci potest. Coniecerunt: *C. Iulio Vero Maximino* et *C. Vibio Treboniano Gallo.* Nihil obstare videtur, quin exstinctum esse putemus nomen Treboniani, nam neque comprobari potest consulto nomen erasum esse, et si re vera consulto deletum est, nomen Vibii aeque atque C. Iulii ab imperatoribus

---

1) op. IV 301.

2) Rev. arch. 1858 p. 295.

3) Abh. d. bayr. Ac. d. W. V 2 p. 248.

qui succedebant, ab Aemiliano vel Valeriano et Gallieno, eradi potuit.

Praeterea vestigia literarum in inscriptione relicta multo melius convenire videntur cum C·VIB(io) quam C·IVL(io).

Quae cum ita sint adlectum esse ignotum illum inter consulares inter annos 251 et 253 aedilemque fuisse circa a. 240 verisimile est. Ceterum tertio saeculo titulum adscribendum esse et adlectione inter consulares et magistratu praesidiali docetur.[1])

24. **[Ti.] Claudius Dexter (?).** Aetate incerta sub imperatoribus.

Fragmentum urnae marmoreae ad viam Appiam repertum CIL VI 3873 = 31700 haec verba ab Huelseno in partem expleta praebet: [Ti(berio) Cl]audio Ti(beri) f. Dextro [. . . .]ri iterum aed(ili?) pl(ebis) [vi(xit) a]nn(os) XXVII . . . us Scombrio [o]ptimo f(ecit).

Haesitaverunt editores, quomodo explenda sit lacuna ante . . . *ri*. Siquidem haec inscriptio attinet ad hominem senatorii ordinis, nil nisi *[quaesto]ri* supplere licet.

Quamquam argumenta, quibus constituatur aetas, desiderantur, certe tamen hic aedilis, si modo fuit, cum XXVII annos natus iam aedilitatem gesserit, temporibus labentis imperii attribuendus est.

25. **C. Pontius Rufus.** Incerta aetate sub imperatoribus.

In titulo ad viam Ostiensem reperto CIL VI 1498 uxori Galeriae dedicato honores enumerantur: Tribunus militum, quaestor, aedilis plebis.

26. **L. Luc(ceius?) Pronto.** Temporibus incertis imperii.

Tit. Albae Pompeiae repertus CIL V 7599: L. Luc . . . o Q. f. Pro . . . i co(n)s(uli) pr(aetori) aedil(i) pl(ebis) Emanenses patrono.

Emanenses adhuc haud notuerunt, desunt omnia vestigia, quibus aetas definiatur.

1) Mommsen St.-R. II 942.

27. **Ignotus.**

Titulus Veronensis acephalus et admodum mutilatus CIL V 3347 hos honores exhibet: (quaestor) provinciae Siciliae, aedilis plebis, praetor.

Aetas huius inscriptionis, quae certe imperatorum aevo attribuenda est, in dubio manet.[1])

28. **Ignotus.**

Titulus Arelatensis mutilatus CIL XII 676: [col]onia A[relat(ensium) aed(ili?)] pleb(ei) . . . nturi . . .

Num recte *aed(ili)* suppletum sit, dubitatur. Aetas constitui nequit.

---

1) Klein Verw. 175.

II.

Fasti aedilium plebis Cerialium.

Aediles plebis Ceriales instituuntur. a.710=44.

Dio XLIII 51, 3: *Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος ταμίαι τεσσαράκοντα προεχειρίσθησαν ὥσπερ καὶ πρότερον, καὶ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον δύο μὲν καὶ ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν, ὅπερ που καὶ ἐς τόδε ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν ἐμεμένηκε.*

Aediles non creati sunt. a.718=36.

Dio XLIX 16, 2. Vide p. 8.

29. C. Lucilius Benignus Ninnianus. Aetate Augusti.

Tit. Corfiniensis CIL IX 3155: C. Lucilio C. f. Benigno Ninniano [t]r[ib(uno) mil(itum)] a popu[lo . . . i . . . q(uaestori) pr(o) pr(aetore) pr]ovinc(iae) [H]is[p(aniae)] aedili Ce[r(iali)] T. (?) Lucilia C. f(ilia) Benigna patri.

Cum tribunatui militum apposita sint verba *a populo*, aetas Augusti vel extrema rei publicae liberae tempora ostenduntur.[1])

Accuratius annus huius aedilis, quem Cerialem fuisse e reliquiis litterarum etsi non plane certum tamen perprobabile est, circumscribi nequit.

Aediles non creati sunt. a.726=28.

Dio LIII 2, 2. Vide p. 10.

---

1) Marquardt II 365.

30. **Mamius Murrius Umber.** Primo p. Chr. saecul.

Tit. Tarraconensis eph. epigr. VII 144 p. 415: M. Magio M. f. Ga[l]. Antiquo praef(ecto) cohor(tis) Cil(icum) praef(ecto) fab(rum . . .) [Ma]mius Murrius Umber [t]rib(unus) mil(itum) leg(ionis) IV Scythicae IIIvir cap(italis) q(uaestor) pro pr(aetore) [l]eg(atus) pro pr(aetore) aed(ilis) plebis Cerialis pr(aetor).

Secundum titulum mirum in modum Murrius praetor fuit postquam legationem pro praetore obtinuit, nisi forte quadratarius quaesturam pro praetore et legationem pro praetore male coniunxit propter verborum similitudinem. Huebner, qui edidit, aetatem non constituit. Scriptus est titulus litteris ineuntis primi saeculi bonis.

31. **Ignotus.** Primo p. Chr. saecul.

Titulus acephalus Salerni repertus CIL X 525 hos praebet honores: triumvir viarum curandarum, tribunus militum legionis II Augustae, quaestor provinciae Cypri pro praetore, aedilis Cerialis, praetor.

Cum provincia Cyprus senatui reddita sit a. 22,[1]) post hunc annum ignotum illum virum quaesturam Cypri gessisse apparet. Magistratus triumviri viarum curandarum quid sibi velit nisi pro quattuorviratu vitio positus est nescimus.

32. **. . . lus.** Primo p. Chr. saecul.

Fragmentum lapidis Vettonae effossum CIL XI 5173: . . . lo tr(ibuno) mili[tum leg(ionum)] IX et XXI [q(uaestori)] . . . ae aed(ili) pl(ebei) Cer(iali) . . . Ponti et [Bithyniae? . . . N]arbonensis per IX s . . . [provin]cia Hisp[ania] . . .

Nescio an ad eundem referenda sit inscriptio et ipsa Vettonae eruderata CIL XI 5172: Hispania hanc Proculus pro consule optinuit.

Cui aetati adsignandus sit vir ignotus, in universum modo ratiocinati sumus. Quia fuit tribunus militum legionum IX

---

1) Marquardt I 391.

et XXI (de legione XXII cogitavit Bormann; vetari videtur hoc tituli fragmento, quomodo inscriptum conspicitur), hoc officio militari vix post Traianum imperatorem functus est. Anno enim 120 fere legionem IX in Britannia trucidatam esse inter omnes constat.[1])

Aediles sorte ducti sunt. a. p. Chr. n. 5.

Dio LV 24, 9. Vide p. 11.

33. **Q. Coelius.**

34. **C. Fulvius.** inter a. fere 14—30.

Tit. urbanus CIL VI 91: Q. Coelius L. f. pr(aetor) aed(ilis) pl(ebis) Cer(ialis) pro pr(aetore) ex s(enatus) c(onsulto) q(uaestor) ex voto suscepto pro incolumitate Ti(beri) Caesaris divi Aug(usti) f(ilii) Augusti pontific(is) maxim(i) Concordiae d(ono) d(edit) [au]ri p(ondera) XXV.

Titulum ad annum 16,[2]) quo ob detecta nefaria M. Libonis consilia senatus dona Iovi Marti Concordiae decrevit,[3]) spectare censuerunt Klebs,[4]) Bormann, Henzen.[5])

Nescimus an attineat ad parentelam Coelii Cursoris, qui anno 21 cum Considio Aequo, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petiverant, auctore principe et decreto senatus punitus est.[6])

At tamen non minus apte referri potest monumentum ad coniurationem Seiani a. 31.[7]) Itaque cum dubia sint argumenta, quibus annus accurate constituatur, aedilitatem priori parti principatus Tiberii adscripsimus. —

1) Pauly Realencyclopaedie IV 889 (Grotefend). Pfitzner Kaiserlegionen p. 214. 284.

2) Levison nr. 192 Coelii praeturam a. 16 apposuit.

3) Tac. ann. II 32.

4) PIR I p. 431 nr. 987.

5) ad tit. CIL VI 91.

6) Tac. ann. III 37.

7) Schiller I 1, 299.

CIL VI 3675 = 30856 basis marmorea in urbe reperta litteris valde detritis: Pro salute Ti. Caesaris [Au]g[u]st(i) pontifi[c(is) maxi]mi princi[p]is [optimi] et ius[tissimi ex voto suscep]to C. Fulviu[s . . .] us pro co(n)s(ule) [pr(aetor) prae]-f(ectus) frum(enti) da[ndi] ex s(enatus) [c(onsulto) le]g(atus) pro pr(aetore) . . a . . pl(ebis?) C . . q(uaestor) pro pr(aetore) tr(ibunus) mil(itum) leg(ionis) IX Hisp(anae) Concordiae auri p(ondera) V argenti p(ondera) XXIII.

Litterae post *[le]g(atus) pro pr(aetore)* quid significent, vix accurate cognosci potest. Tamen cum e reliquiis litterarum, quas legit Christianus Huelsen, tum e spatiis inter singulas litteras interpositis aedilitatem plebis Cerialem ostendi sententia est non improbabilis.[1])

De tempore huius tituli idem censendum esse atque de inscriptione urbana CIL VI 91 vel inde probatur, quod duo aediles plebis Ceriales, siquidem C. Fulvius fuit, Concordiae pro incolumitate Ti. Caesaris ex voto suscepto dona dederunt, atque Q. Coelium et C. Fulvium collegas fuisse verisimile nobis videtur.

35. **A. Caesius Gallus.** post
a. fere 2

Titulum Tiburtinum (?) CIL XIV 3590 posuit A. Caesio Gallo aedili plebis Ceriali, praetori, flamini Augustali P. Curtius Severus flamen Augustalis.

Aetas Caesii vix accuratius definiri potest. Cum flamen Augustalis nominetur, non ante tertium decennium primi p. Chr. n. saeculi ponendus est, neque sane multo post hunc titulum positum esse opinamur.

36. **. . . us Celer.** a. 32 v
brevi po

Tit. Allifanus CIL IX 2335: . . . o M. f. Celeri [decemviro stli]tibus iudic(andis) q(uaestori) . . . lli co(n)s(ulis) legatus missus [c]um A. Plautio in Apulia[m ad servos to]rquendos aed(ilis) Cer(ialis) [. . . leg(atus)] avunculi sui provincia . . . [leg(atus)] Camilli in provincia . . . [pro]vinciam Cretam

1) Groag PW VII 230 nr. 11.

et Cyrenas [. . . Mar]ciani consobrini sui in provincia [. . . Hispani]a ulteriore.

Plautium eundem esse atque consulem suffectum anni 29, qui postea de Britannis triumphavit, docuit Mommsen.[1]) O. Hirschfeld lacunam ante . . . *lli* ita explevit, ut *Rubelli* poneret L. Rubellium significans, qui eodem anno consul ordinarius fuit. Quae si ita sunt — neque est, quod huic opinioni repugnet — ille vir ignotus quaestor fuit anno 29; aedilitatem igitur a. 32 vel paulo post gessit.

37. **C. Caesius Aper.** circa a. 65.

E titulo Sestinati CIL XI 6009 fuit praefectus cohortis Hispanorum equitatae, tribunus militum, quaestor pro praetore Ponti et Bithyniae, aedilis plebis Cerialis, praetor, legatus pro praetore provinciae Sardiniae.

Cohorti II Hispanorum C. Caesium Aprum praefuisse a. 60 apparet ex diplomate militari II CIL III p. 845. Atque cum Caesium initio imperii Vespasiani, annis 69 sive 70 ut videtur, legatum pro praetore provinciae Sardiniae fuisse oporteat,[2]) aedilitas apte circa a. 65 ponitur.

38. **C. Iulius Cornutus Tertullus.** a. fere 71.

Titulus Praenestinus CIL XIV 2925 hos honores exhibet: fuit Iulius quaestor urbanus, aedilis Cerialis, adlectus inter praetorios a divis Vespasiano et Tito censoribus, legatus pro praetore provinciae Cretae et Cyrenarum, praefectus aerarii Saturni, curator viae Aemiliae, legatus pro praetore divi Traiani Parthici provinciae Aquitaniae censuum accipiendorum, eiusdem legatus provinciae Ponti et Bithyniae, proconsul provinciae Narbonensis, proconsul provinciae (Asiae), consul.

Ceterum optime notus est hic Tertullus, qui consulatum gessit anno 100, epistulis Plinii Secundi.[3])

1) St.-R. II 1075 n. 3.

2) Mommsen Herm. II 173 = hist. Schr. II p. 334 n. 2. Klein Verw. p. 281. Liebenam Forsch. p. 355. Levison nr. 466.

3) PIR II p. 188 nr. 187.

Cornutum, cum adlectus sit inter praetorios a Vespasiano et Tito censoribus annis 73 et 74, triennio vel biennio ante aedilem fuisse verisimile est.

39. **P. Tullius Varro.** circa a 100.

Teste titulo Tarquiniensi CIL XI 3364 fuit quinquennalis Tarquiniis, praetor Etruriae, decemvir stlitibus iudicandis, tribunus militum legionis XVI Flaviae, quaestor urbanus, aedilis Cerialis, praetor, legatus legionis XII Fulminatae et VI Victricis piae fidelis, proconsul provinciae Baeticae ulterioris Hispaniae, praefectus aerarii Saturni, curator alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis, legatus Augusti pro praetore Moesiae superioris, proconsul provinciae Africae, consul, augur.

Idem testamento suo thermas Tarquiniis exstrui iussit,[1]) quas perfecit filius. Denique idem esse videtur, cuius filius heres factus est Dasumii cuiusdam,[2]) cuius, ut putatur, testamentum scriptum aestate anni 108 traditum est.[3])

P. Tullium Varronem tribunum militum fuisse putamus non ante a. 71, cum legio XVI a Vespasiano constituta esse videatur.[4]) Atque cum Domitiano imperante Moesia in duas provincias divisa sit, post annum 81 praefuit Tullius Moesiae superiori.[5]) Denique quoniam procuratio alvei Tiberis cum cura riparum et cloacarum Traiano demum imperante coniuncta sit,[6]) illum magistratum cepit non ante annum 110, quem fere inter annum et 121 P. Tullium Varronem curatorem fuisse opinatus est Borghesi.[7])

---

1) CIL XI 3366.

2) CIL XI 3365.

3) CIL VI 10229.

4) Pauly Realencyclopaedie IV 896 (Grotefend). Pfitzner Kaiserlegionen p. 70. 72.

5) Marquardt I 303.

6) Cantarelli, la serie dei curatores Tiberis. Bull. della comm. arch. comunale di Roma XVII 1889 p. 196. Pallu de Lessert fastes I 189.

7) op. V 63.

Quibus de causis aedilitatem Varronis extremis annis primi saeculi attribuimus, quae sententia eo confirmatur, quod Tullius Varro, qui circa a. 70 aedilitate plebeia functus est, pater huius fuisse putatur.

Aliter de hoc Varrone iudicavit Tissot,[1]) qui consulatum Varronis anno fere 128, legationem Africae circa a. 140 ponendam esse demonstrare conatus est. Atque Tullium legatum pro praetore Moesiae fuisse sub Traiano censuit Liebenam,[2]) praetorem Hadriano imperatore Levison[3]) putavit.

40. **. . . Celsus.** inter a. 105—117.

Titulus Pedemontanus CIL V 7153 hos honores publicos exhibet: aedilis plebis Cerialis, quaestor, adlectus in amplissimum senatus ordinem ab imperatore Caesare Nerva Traiano Augusto Germanico Dacico, praefectus cohortis Breucorum.

Cum anno 102 Traiano cognomen Dacici datum sit, inter annos 102 et 117 titulum positum esse apparet.

Borghesi[4]) hunc Celsum eundem esse censuit atque L. Publilium Celsum consulem iterum ordinarium a. 113, occisum ante annum 118. Sed quia cognomen Celsi illis temporibus persaepe invenitur[5]) neque ulla alia causa Borghesi commotus esse videtur, illi Publilio hoc monumentum mutilatum adscribere non ausi sumus.

41. **M. Acilius Priscus Egrilius Plarianus.** Temporibus Hadriani.

Nomen reperitur in titulo Ostiensi CIL XIV 72, ubi enumerantur honores praefecturae aerarii militaris, pontificis Volcani et aedium sacrarum.

Ad eiusdem uxorem vel cognatam quandam pertinet inscriptio et ipsa Ostiensis CIL XIV 156: M. Acili Prisci Egrili Plariani L. Vettius Felix e[t] P. Novellius Atticu[s] amici.

---

1) Fastes de la province Romaine d'Afrique. Paris 1885 p. 93.

2) Forsch. p. 293.

3) nr. 1041.

4) op. V 34.

5) Conferatur PIR I p. 335 nr. 539. Klein f. c. p. 126.

Quo cum Acilio Visconti[1]) contulit alium titulum, ut putatur, Ostiensem acephalum, quem posuerunt iidem amici, ita, ut hoc titulo cursum honorum Acilii Prisci ostendi putaverit:

CIL VI 1550 et p. 853 = 31678 = XIV 155: . . . quattuorviro viarum curandarum . . . trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Maced(onicae) q(uaestori) urbano aedili pleb(is) Cerial(i) praetor(i) legato provinciar(um) Siciliae et Asiae proco(n)-s(uli) prov(inciae) Galliae Narbonens(is) legato legionis VIII Augustae L. Vettius Felix et P. Novellius Atticus amici.

Cui coniecturae *admodum probabili,* ut ait Dessau ad tit., obstare videtur, quod neque praefectura aerarii militaris neque pontificatus commemoratur. Quae tamen expedire conatus est Liebenam,[2]) qui tit. CIL XIV 155 positum esse ante XIV 72 collegit. Atque cum iidem amici Ostiae uxori, ut videtur, dedicaverint monumentum, titulum acephalum ad maritum Acilium referendum esse non improbabile est.

Pater huius Acilii extare putatur in inscriptione Ostiae reperta CIL XIV 399: Planiae Q. f(iliae) Verae flaminicae d[i]vae Aug(ustae) matri A. Egrili Plariani patris p(atroni) c(oloniae) co(n)s(ulis).

Quae inscriptio cum e litterarum formis ante tempora Flaviorum collocari nequeat, Egrilium aedilem, quem Auli filium fuisse titulo docetur, aetate Hadriani honores obtinuisse verisimile est, praesertim cum omissa inveniamus praemia militaria, quae Traiano imperatore saepissime nominantur in monumentis.[3])

42. **L. Neratius Proculus.** circa a. 146.

Teste titulo Saepini reperto CIL IX 2457 fuit decemvir stlitibus iudicandis, tribunus militum legionis VII Geminae felicis et legionis VIII Augustae, quaestor, aedilis plebis Cerialis, praetor, legatus legionis XVI Flaviae fidelis, item

1) Giornale Arcad. nov. ser. 1867, t. 197, p. 173 seqq.
2) Forsch. p. 52. Klein Verw. 141.
3) PW I 259 (P. de Rohden).

missus ab imperatore Antonino Augusto Pio ad deducendas vexillationes in Syriam ad bellum Parthicum, praefectus aerarii militaris, consul.

Sub Antonino Pio nullum bellum contra Parthos gestum est, dissensiones enim cum Vologaese quarto pace compositae sunt a. 154 aut 155,[1]) quibus annis bello imminente Neratium vexillationes in Syriam duxisse verisimile est,[2]) praesertim cum fuerit legatus legionis XVI in Syria collocatae. Ceterum annus consulatus incertus est.

Neratium igitur circa annum 146 aedilitatem gessisse collegimus.

43. **. . . cus Modestus Paulinus.** Altero dimidio secundi saeculi.

Tit. Marruvii repertus CIL IX 3667: . . . co Modesto Paulino c(larissimo) v(iro) praef(ecto) urbis feriarum Latinarum quaestori urbano aed(ili) Cer(iali) praetori eodemq(ue) tempore praetor[i] Aetrur(iae) quindecim popul[or(um)] cur(atori) r[ei] p(ublicae) splend[i]dissimae civita[tis] Mars(orum) Marr(uvii) eodem [te]mpor[e e]t cur(atori) viar(um) Tib(urtinae) Val(eriae) [et ali]m(entorum) patr[ono] a[bst]i[n]entis[sim]o.

Modestum post Nervam honores enumeratos gessisse magistratu curatoris civitatis et viarum alimentorumque ostenditur, eum alteri dimidio saeculi secundi attribuendum esse cognomine clarissimi viri comprobatur.

44. **Ignotus.** inter a. fere 158—168.

Tit. Philippensis CIL III 7339 in capite truncatus, ceterum optime servatus: . . . [lato clavo exornatus a] divo Pio qu(aestor) pr(o) [pr(aetore)] per provinciam Pontum et Bith[y]niam aedilis Cer[i]al[i]s praetor designatus item de[c(urio)] Philipp(is) et in provincia Thracia Iulius Teres fratri piissimo.

1) Schiller I 2, 633.
2) Borghesi op. V 376.

Quoniam Antoninus Pius divus appellatur, monumentum post annum 161 positum est. Intervallis legitimis computatis virum ignotum inter annos fere 158 et 168 aedilem fuisse oportet.

45. **C. Memmius Fidus Iulius Albinus.** a. 170 paulo p

Tit. Africanus CIL VIII 12442 hos exhibet honores: tribunus laticlavius legionis II Augustae, quaestor provinciae Asiae, aedilis Cerialis, legatus pro praetore provinciae Africae, praetor, iuridicus per Italiam regionis Transpadanae, legatus Augusti legionis VII Claudiae, proconsul provinciae Baeticae, praefectus Miniciae, curator viae Flaminiae, legatus Augusti pro praetore provinciae Noricae, sodalis Titius, consul.

Ad eundem pertinet inscriptio et ipsa Africana CIL VIII 11928: [pro salute imp(eratoris) Caes(aris) L. Aureli Commodi Germ]anici Sarmatici principis iu[vent(utis) co(n)-s(ulis) des(ignati) . . . C. Me]mmius Fidus legatus p[r(o) pr(ae-tore) provinciae Africae dedicavit].

Hunc titulum J. Schmidt, qui edidit, anno 175 aut 176 positum esse perprobabiliter coniecit. Itaque his fere annis Memmius legatus pro praetore provinciae Africae fuit. Atque cum eum antea aedilitatem gessisse e titulo priore eluceat, Memmium a. 170 vel paululo post illo magistratu functum esse verisimile est.

46. **Ignotus.** circa 195

Titulus Africanus acephalus CIL VIII 15496 quantum fieri potuit suppletus: . . . [adlecto inter quaestorios a div]o Com[modo aedili Ce]reali pr[aetori per]egrino adl[ecto ab imp]p. Caess. L. Septi[mio Sev]ero Pio Pertinaci e[t M. Au]relio [A]n-to[nino Augg. ad c]uram civi[tatis] . . . orum . . .

Quos honores inter annos 180 et 217 gestos esse titulo ipso docetur. Atque cum viro ignoto, ad quem spectat inscriptio, a duobus imperatoribus cura civitatis cuiusdam vel complurium delata sit et illum ceteros honores ex ordine hoc in monumento adhibito antea gessisse colligere liceat, circa

a. 211 procurationem obtinuisse videtur. Itaque quod pauca modo munera intermissa inveniuntur inter hanc curam et adlectionem in quaestorios, extremis annis Commodi eum adlectum esse rati aedilitatem circa a. 195 posuimus.

47. **Antonius Fronto Salvianus.** Saeculo altero exeunte.

Tit. urbanus CIL VI 1345: Antonio Frontoni Salviano c(larissimae) m(emoriae) v(iro) quaestori urbano aedili Cereali designato Antonius Felix Magnus c(larissimus) p(uer) filius parentibus.

Vocibus viri clarissimae memoriae et clarissimi pueri finem alterius p. Chr. n. saeculi significari censemus.

48. **Q. Herennius Silvius Maximus.** Inter a. fere 200—220.

Teste titulo Telesino CIL IX 2213 fuit sevir turmae equitum Romanorum, curio, quaestor urbanus, aedilis Cerialis, praetor, iuridicus per Calabriam Lucaniam Bruttios, legatus legionis II Italicae et alae Antoninianae. Nominatur vir clarissimus.

Cum nominetur legatus alae Antoninianae, temporibus M. Aurelii Antonini Caracallae legatus fuit. Itaque — graviora enim desunt argumenta, quibus aetas definiatur — Herennii aedilitatem primis annis tertii saeculi adscripsimus.

49. **C. Luxilius Sabinus Egnatius Proculus.** circa a. 225.

Honores exhibentur in titulo Pisaurensi CIL XI 6338: Tribunus laticlavius legionis IV Flaviae, quaestor pro praetore provinciae Cretae Cyrenarum, aedilis Cerialis, praetor, legatus provinciae Achaiae, curator viarum et praefectus alimentorum Clodiae et cohaerentium, iuridicus regionis Transpadanae, legatus legionis X Geminae Gordianae, curator rerum publicarum Pisaurensium et Fanestrium. Vir clarissimus.

Quia legioni X cognomen Gordianae attribuitur, ei praefuit Luxilius non ante imperatoris Gordiani aetatem; circa 225 aedilitas ponenda esse videtur.

50. **M. Iulius Arquillius Tertullus.**

Nomen et honos inscripta sunt in titulo urbano CIL VI 30905. De tempore huius viri plane ignoti nihil explorari potuit.

51. **. . . Celer Maximus Cornelius [Te]l[e]sinus.**[1]

Titulus urbanus CIL VI 3831 haec praebet verba quantum fieri potuit suppleta: . . . Cn. f. Clu. Ce[l]eri [Ma]ximo Cornelio . . . l . sino . . . [trib(uno) leg(ionis)] V Macedonicae Xvir(o) [stlitib(us) iudic(andis) q(uaestori) pr]ovinc(iae) Achaiae [. . . aed(ili)] Cer(iali) . . . [praef(ecto) frum]ento [dando] . . .

Etsi in tali litterarum inopia certo diiudicari nequit num redeant reliquiae *Cer* . . . ad *aed(ili) Cer(iali)*, tamen ita supplendum esse verisimile est, cum vix aliud quicquam invenias, quo litterae illae aptius suppleantur. De tempore nihil innotuit.

52. **. . . [Vale][2]rius Priscus . . . lius Festus.**

Tit. Labici repertus CIL XIV 2768: . . . [Vale]rio [P]risco . . . lio Festo [aed(ili)] pleb(is) Cer(iali) [qua]estori urb(ano) [O]ppius (?) [Quad]ratus (?) [amic]o optumo.

53. **Ignotus.**

Fragmentum tabulae marmoreae in urbe repertum CIL VI 1570: [. . . aed(ili)] Cereali quaest(ori) prov(inciae) Asiae trib(uno) laticlavi[o] . . .

---

1) Supplevit Wissowa.
2) Supplevit Ruggiero Diz. epigr. I 228.

III.
Fasti aedilium curulium.

54. **M. Barbatius Pollio.** a. 716 = 38.

Nominatur in inscriptione urbana nuper in publicum prolata:[1]) M. Barbatius Pollio aed(ilis) cur(ulis) Iuturnai sacrum < rest(ituit) puteal >.

Titulus e litterarum formis temporibus Augusti vel ultimis rei publicae liberae attribuendus est.[2])

Attulerunt editores locum Ciceronianum Phil. XIII 3: Addite illa naufragia Caesaris amicorum Barbas Cassios Barbatios Polliones.

Ad eundem Barbatium a Cicerone nominatum antiquitus relatus est ille Barbatius, quem commemorat App. b. c. V 31 quaestorem anni 713 = 41. Quocum coniungit Klebs[3]) M. Barbarium (sic exhibent codices) ab Ulpiano Dig. I 14, 3 ita inductum: Barbarius Philippus cum servus fugitivus esset, Romae praeturam petiit et praetor designatus est. Sed nihil ei servitutem obstetisse ait Pomponius, quasi praetor non fuerit; atquin verum est praetura eum functum.

Neque tamen nummi, quibus M. Barbatium quaestorem fuisse sub Antonio a. 713 = 41 confirmatur,[4]) cognomen Philippi exhibent, neque quicquam Pomponius de aedilitate aut quaestura disserit, quam ille Barbarius non minus contra leges adeptus esset quam praeturam. Itaque inscriptiones lapidis

1) Chr. Huelsen, Neue Inschriften vom Forum Romanum. Beiträge zur alten Geschichte II 234.

2) Chr. Huelsen, das Forum Romanum. Rom 1904 p. 133.

3) PW III 2.

4) E. Babelon, déscription historique et chronologique des monnaies de la république Romaine I p. 256.

nummorumque atque locos Ciceronis et Appiani ad eundem M. Barbatium Pollionem attinere coniecimus, qui quaestor fuit a. 41; sic e legibus annalibus aedilitas ante annum 38 poni nequit, tamen illis turbulentis temporibus, praesertim cum fuerit amicus Antonii, factum esse potest, ut iam ante legitimum tempus aedilitatem capessiverit.

Aediles non creati sunt. a.718=

Dio XLIX 16, 2. Vide p. 8.

55. **Ignotus.** Inte a. fe

Aedilitas invenitur in titulo acephalo Aquileiae reperto 719= CIL V 879: . . . [leg(ato) Caes(aris) pr(o)] . . . pr(aetore) 724= pr(aetori) pro co(n)s(ule) . . . leg(ato) Caesar(is) aed(ili) cur(uli) q(uaestori) trib(uno) mil(itum) quattuorv(iro) i(uri) d(icundo) d(ecurionum) d(ecreto).

Titulus, cum nondum adiunctum sit cognomen Augusti Octaviano Caesari, inter annos 723 = 31 et 726 = 28 exaratus esse videtur. Itaque anno cuidam inter 719 = 35 et 724 = 30 aedilitatem attribuendam esse ratiocinati sumus.

56. **M. Vipsanius Agrippa.** a.721=

Frontin. de aqu. I 9: Post . . . Agrippa aedilis post primum consulatum imperatore Caesare Augusto iterum L. Volcatio consulibus anno post urbem conditam septingentesimo nono decimo . . . alterius aquae proprias vires collegit et Tepulae rivum intercepit.

Dio XLIX 43, 1 (a. 720 = 34): *Τῷ δ' ὑστέρῳ ἔτει ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο.*

Memoratur Vipsanii aedilitas apud Frontin. de aqu. II 98. Plin. h. n. XXXVI 104. 121. Ad Agrippam aedilem spectat Horatius sat. II 3, 185.

Denique titulum mutilatum in urbe repertum CIL VI 31270 commemorari oportet, qui scilicet num hunc ad Vipsanium referendus sit iure dubitatur.[1]) Attulimus illam inscri-

1) Huelsen-Jordan Topographie I 3, 405 n. 28.

ptionem cum supplementis ab Huelseno exhibitis:[1]) M. Ag[rippa L. f.] aed[(ilis) auctore] imp(eratore) Cae[sare divi f. trium]-vir(o) r[ei publ(icae) c(onstituendae) II aediculam vi]ci salu-[taris reficiendam cur(avit)].

57. **P. Barronius Barba.** Ultimis rei publicae liberae temporibus.

Extat in titulo urbano CIL VI 31602: P. Barronius Barba aed(ilis) cur(ulis) grados refecit.

Adnotat Huelsen: propter formam litterarum ultimis liberae rei publicae temporibus attribuenda videtur.

Ad eosdem gradus pertinere locum Livii de anno 580 = 174[2]) Klebs[3]) docuit. Nomen Barronii passim in titulis invenitur neque tamen ullo modo huic magistratui attribuitur.

58. **T. Septimius Sabinus.** Primis Augusti temporibus vel paulo ante.

Plin. h. n. XXXIV 93: In hac (statua Herculis) tres sunt tituli: L. Luculli imperatoris de manubiis; alter, pupillum Luculli filium ex senatus consulto dedicasse; tertius, T. Septimium Sabinum aedilem curulem ex privato in publicum restituisse.

Ad eundem pertinere censemus inscriptionem urbanam CIL VI 31759: . . . Septumius [S]abinus aed(ilis) cur(ulis) areas a cippo ab Tiberim attrib[uit].

Plinium illas inscriptiones chronologico qui dicitur ordine tradidisse pro certo habemus. Suprema enim inscriptio quin prima exarata sit vix quisquam dubitabit; imperatoris tum filius statuam dedicavit, quam nonnullis annis post — collocata erat interim secundum locum Plinianum in privato quodam fundo — Septimius in publicum restituit. Atque filiolus Luculli imperatoris, cuius ceterum praenomen non constat,[4]) cum ex Servilia altera uxore ortus sit,[5]) non ante annum 689 = 65

1) Contra Gardthausen Mus. Rhen. XLV 1890 p. 619.

2) Liv. XXXXI 27, 8.

3) PW III 26.

4) Val. Max. IV 7, 4 eum Marcum appellat.

5) Plut. Cat. 24. 54.

natus esse potest,[1]) eumque anno 709 = 45 adulescentem non plane eruditum fuisse cognoscitur e Cic. ep. ad Att. XIII 16, 1, siquidem verba Ciceronis ita interpretanda sunt. Quibus de causis Lucullum statuam anno fere 707 = 47 dedicasse Septimiumque primis Augusti temporibus vel paulo ante aedilem fuisse coniecimus.[2])

59. P. Paquius Scaeva.

Honores extant in inscriptione Histoniensi CIL IX 2845: fuit quaestor, decemvir stlitibus iudicandis ex s. c. post quaesturam, quattuorvir capitalis ex s. c. post quaesturam et decemviratum stlitium iudicandarum, tribunus plebis, aedilis curulis, iudex quaestionis, praetor aerarii, pro consule provinciam Cyprum obtinuit, viarum curator extra urbem Romam ex s. c. in quinquennium, proconsul iterum extra sortem auctoritate Augusti Caesaris et s. c. missus ad componendum statum in reliquum provinciae Cypri, fetialis.

Cum praeturam gesserit aerarii, quam institutam esse anno 731 = 23 constat,[3]) anno 732 = 22 vel post praetor fuit.[4]) Neque tamen multo postea hoc magistratu functus esse videtur, cum obtinuerit et aedilitatem et tribunatum, quos magistratus Augustus paulo post pugnam Actiacam uno gradu honorum coniunxit.

Denique Scaevam cursum suum honorum aetate inter Caesarem dictatorem et Augustum posita incohavisse inde apparet, quod quattuorvir fuit capitalis, quod collegium primitus triumvirale ampliaverat Caesar, ad priorem autem numerum redegit Augustus.[5])

---

1) Cicero et Cato tutores fuerunt: Cic. de fin. III 7. Varro de r. r. III 2, 17. Columella de r. r. VIII 16, 5.

2) Adnotatur PIR III p. 212 nr. 340: Videtur vixisse circa tempora Augusti, vix postea.

3) Mommsen St.-R. II 558 n. 2.

4) Levison nr. 4.

5) Mommsen St.-R. II 595.

60. **L. (Cornelius) Rufinus (Livianus).** Inter a. fere 724=30 et 754.

In titulo Praenestino CIL XIV 2866 haec exhibentur verba: Fortunae Primigeniae L. Rufinus aedil(is) cur(ulis).

Ad eundem referuntur inscriptiones nummorum Chalcidensium: *Λ. Ρουφῖνος ἀνθύπατος* et *Λ. Ρ. Λιουι . . . ἀνθύπατος*, de quibus Imhoof-Blumer haec disseruit:[1]) *Borghesi œuvres numismatiques I 176 n. 2 proposa de compléter le nom du proconsul en L. Livineius, ce qui n'est pas admissible parcequ'il n'y a place que pour le nom de Livius . . . Il est possible, que les noms de Rufinus et de Livius se rapportent au même personnage, dont le nom complet serait L. Livius Rufinus (CIL III 2 p. 1030 nr. 6367).*

Atque quia caput Augusti in anteriore nummi parte conspicitur, L. Rufinus sub Augusto pro praetore fuisse videtur.

Titulum etiam Renier in adnotatione ad inscriptionem Praenestinam a Foucarto depictam[2]) extremis liberae rei publicae temporibus vel primis principatus attribuit.

Nomen Cornelii posuimus Renierum secuti, qui septimo urbis saeculo Cornelios cognomen Sullae in Rufini commutasse monuit.

61. **A. Terentius Varro Murena.** a. 725=29 vel paulo ante.

62. **L. Trebellius.**

Tit. CIL VI 1324 Romae repertus: Varro Murena L. Trebellius aed(iles) cur(ules) locum dederunt.

L. Trebellius nescimus an filius fuerit L. Trebellii, Antonii sectatoris, qui aedilitatem gessit anno 709 = 45 aut 710 = 44.

A. Terentius Varro Murena consulatum gessit anno 731 = 23, quo anno cum Fannio Caepione in Augustum coniuratione facta in fuga deprehensus et occisus est.[3]) Anno

---

1) Monnaies Grecques, Amsterdam 1883 p. 222 nr. 56.

2) Rev. arch. nov. sér. vol. IX 1864 p. 210.

3) Dio LIV 3, 4 minus recte ad a. 732 = 22. Strabo XIV 5, 4 p. 670 Cas. Suet. Aug. 19, 1; Tib. 8. Vell. Pat. II 91, 2. 93, 1.

729 = 25 ab Augusto missus erat ad Salassios subiciendos, quos Varronem legatum pro praetore vicisse verisimile est. Itaque, siquidem praeturam gessit anno 728 = 26, Murenam et Trebellium anno 29 vel paulo ante aediles fuisse probabile esse videtur.

Aediles non creati sunt. a.726=2

Dio LIII 2, 2. Vide p. 10.

Quomodo praetores aedilium curulium officia praestiterint, bene docetur inscriptione urbana huic aetati attribuenda CIL VI 1501: C. Propertius Q. f. T. n. Fab. Postumus IIIvir cap(italis) et insequenti anno pro IIIvir(o) qu(aestor) pr(aetor) desig(natus) ex s(enatus) c(onsulto) viar(um) cur(ator) pr(aetor) ex s(enatus) c(onsulto) pro aed(ilibus) cur(ulibus) ius dixit pro co(n)s(ule).

6.[1] **C. Calpurnius.** a. 730= vel pau ante.

Dio LIII 33, 3 (a. 731 = 23): *Καὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει ἀγορανόμον τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γάιος Καλπούρνιος καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι διεδέξατο . . .*

63. **M. Claudius Marcellus.** a.731=

Tac. ann. I 3: Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adulescentem pontificatu et curuli aedilitate . . . extulit.

Conferatur Dio LIII 28, 4.

Plin. h. n. XIX 24: Deinde et sine ludis Marcellus Octavia Augusti sorore genitus in aedilitate sua, avonculo XI consule, . . . velis forum inumbravit.

64. **L. Domitius Ahenobarbus.** a.732=

Suet. Ner. 4: (L. Domitius Ahenobarbus) . . . arrogans, profusus, immitis censorem L. Plancum via sibi decedere aedilis coegit.

---

1) Vide p. 10.

L. Munatius Plancus censor fuit cum Paullo Aemilio Lepido a. 732 = 22.[1])

Hunc Domitium ut hominem patricium[2]) inter aediles curules recepimus.

Aediles curules vitio creati. a.740=14.

Dio LIV 24, 1: *Τῷ δ'ἐπιγιγνομένῳ ἔτει Μᾶρκος μὲν Κράσσος καὶ Γναῖος Κορνήλιος ὑπάτευσαν, οἱ δ'ἀγορανόμοι οἱ κουρούλιοι ἀπειπόντες τὴν ἀρχὴν ὅτι ἐξαισίων σφίσι τῶν ὀρνίθων γενομένων ᾕρηντο, αὖθις αὐτὴν ἔξω τῶν πατρίων ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ ἀνέλαβον.*

65. **. . . Fabatus (?).** Primo p. Chr. n. saeculo.

Titulus Tarraconensis CIL II 3533 magnam in partem truncatus: . . . Fabat(?) . . . adlecto [. . . inter praet]orios aedili curuli [. . . quaestori] urbano Xviro stlitibus [. . . i]udicandis.

Vestigia cognominis difficilia cognitu nomen *Fabatus* indicare Huebner ad tit. cit. opinatus est.

Adscribenda est inscriptio propter optimas litterarum formas primo p. Chr. n. saeculo.

Aediles sorte ducti sunt. a. p. Chr. n. 5.

Dio LV 24, 9. Vide p. 11.

66. **C. Pontius Paelignus.** Inter a. fere 10—30.

Titulus Brixiensis CIL V 4348: C. Pontio O . . . Paeligno trib(uno) m[il(itum)] . . . leg(ionis) X Gem(inae) q(uaestori) cur[atori] locorum public[orum . . .] iterum aed(ili) cur(uli) . . . legato pro pr(aetore) iter[um . . .] ex s(enatus) c(onsulto) et ex auctorit[ate] Ti(beri) Caesaris.

Gemina cognominata videtur esse legio X Tiberio imperante.[3])

---

1) Dio LIV 2, 1. Suet. Claud. 16, 1.

2) Heiter l. c. p. 49.

3) Paulys Realencyclopaedie IV 890 (Grotefend). Pfitzner Kaiserlegionen p. 249.

67. **C. Ummidius Durmius Quadratus.** a. 16.

Teste titulo Casinati CIL X 5182 fuit decemvir stlitibus iudicandis, quaestor divi Augusti et Ti. Caesaris Augusti, aedilis curulis, praetor aerarii, curator tabularum publicarum, praefectus frumenti dandi ex s. c., proconsul provinciae Cypri, legatus Ti. Caesaris Augusti provinciae Lusitaniae, consul, quindecemvir sacris faciundis, legatus Claudii in Illyrico, legatus eiusdem et Neronis Caesaris Augusti in Syria.

De C. Ummidii magistratibus maioribus egerunt Paulus de Rohden et Hermannus Dessau,[1]) accedit titulus miliarii in Syria repertus,[2]) quo Durmium a. 56 legatum Syriae fuisse confirmatur.

Ex inscriptione citata Durmium a. 14 quaestura functum esse apparet, praetor fuit a. 18, extat enim nomen in fastis scribarum quaestoriorum sex primorum[3]) sub a. 18. Quibus de causis Durmium a. 16 aedilem fuisse pro certo habere licet.

68. **(L.) Martius Macer.** circa a. 40

Tit. CIL XI 1835 Arretii repertus: [L.] Martio L. f. Pom. [Mac]ro trib(uno) mil(itum) leg(ionis) II IVviro v[ia(rum) cur(andarum) q(uaestori)] aed(ili) cur(uli) pr(aetori) leg(ato) Ti(beri) Claudi Caes[aris Aug(usti) pr(o)] pr(aetore) provinc(iae) Moesiae leg(ionis) IV Scyt[hic(ae) et leg(ionis)] V Maced(onicae) pro co(n)s(ule) prov(inciae) Achai[ae citr]a sortem ex d(ecurionum) d(ecreto) p(ositum).

Borghesium secuti sumus, qui hunc eundem esse observavit atque Martium Macrum a Tacito[4]) nominatum. Gladiatoribus praefectus erat anno 69 ab Othone, a quo ei promissum consulatum dissimulavit Vitellius.

Inscriptio, cum nondum appelletur Claudius divus et provincia Achaia anno 44 senatui administranda reddita sit,[5])

1) PIR III p. 468.
2) Cagnat et Besnier L'année épigraph. 1907 nr. 194.
3) CIL I 1^2 p. 74.
4) hist. II 23. 35. 36. 71.
5) Marquardt I 331.

exarata est inter annos 44 et 54. Quo vero anno Martius legatus pro praetore Moesiae fuerit, adhuc controversia est. Eum post annum 44 Moesiae praefuisse censent Marquardt,[1]) Levison,[2]) Liebenam,[3]) Wilmanns,[4]) qui adnotat: *Primus videtur fuisse Moesiae legatus; nam eo tempore legiones IV Scythicam et V Macedonicam in Moesia castra habuisse, donec illa anno 47 in Germaniam inferiorem traduceretur, haud ignotum est.* Contra Alfredus a Domaszewski[5]) Macrum legatum Moesiae fuisse posuit ante annum 44. Utram sententiam sequamur, prope nihil anno aedilitatis constituendo refert. Martium enim Macrum non multo ante annum 47[6]) legatum Moesiae fuisse vel inde comprobatur, quod secundum verba Taciti[7]) viginti fere annis post consulatum petivit.

Qua de causa L. Martium Macrum aedilitatem anno fere 40 vel paulo ante obtinuisse verisimile est.

69. **M. Arrius Maximus.** Inter a. fere 40—50.

Tit. CIL X 5911 Anagniae repertus: M. Arrio M. f. Maximo IIIvir(o) cap(itali) praef(ecto) equ(itum) q(uaestori) pro pr(aetore) aed(ili) cu[r(uli)] . . .

Quibus temporibus haec attribuenda sit inscriptio, ostendit Suet. Aug. 38, 2: Liberis senatorum, quo celerius rei publicae assuescerent, protinus virili toga latum clavum induere et curiae interesse permisit militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum sed et praefecturas alarum dedit.

His de rebus a Claudio in partem commutatis refert idem Claud. 25, 1: Equestris militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.

---

1) Marquardt I 303.
2) Levison nr. 374 Macrum praetorem ponit a. fere 43.
3) Forsch. p. 268.
4) Exempla inscriptionum Latinarum I nr. 1138.
5) Mus. Rhen. XLV 5.
6) Pfitzner Kaiserlegionen p. 153.
7) Hist. II 71.

Illos igitur inter imperatores ponendum esse titulum docuit Henzen[1]) convenientibus huic sententiae litterarum formis: *ben convengono ad un titolo che, se non molto anteriore, almeno non è posteriore a Claudio.*

Ergo primis Claudii principis annis Arrium aedilem fuisse probabile est.

70. **T. Rutilius Varus.** Inter a. fere 73—82.

Tit. Nolanus CIL X 1258: T. Rutilio Varo trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Macedonicae praefecto alae Bos(poranorum) q(uaestori) divi Vespasiani aed(ili) cur(uli) com(iti) imperator(is) patrono d(ecreto) d(ecurionum).

Rutilius cum quaestor fuerit commendatus a Vespasiano, aedilitatem inter annos 73 et 82 gessit.

71. **Sex. Tadius Lusius Nepos Paullinus.** Inter a. fere 80—100.

Honores, quos gessit, inveniuntur in titulo Aequiculano CIL IX 4119 inverso ordine: Proconsul sortitus provinciam Cretam et Cyrenas, legatus pro praetore provinciae Asiae, praefectus frumenti dandi, legatus pro praetore provinciae Macedoniae, praetor candidatus, aedilis curulis, quaestor provinciae Ponti et Bithyniae, tribunus militum legionis IV Flaviae felicis, decemvir stlitibus iudicandis, octovir iterum, quinquennalis.

Memoratur Tadius Nepos legatus pro praetore provinciae Macedoniae in titulo Macedonico CIL III 7316. Cum quaestor fuerit provinciae Ponti et Bithyniae, illis temporibus hunc magistratum eum gessisse oportet, quibus nondum imperatoria fuit provincia. Quod Traiano[2]) aut Hadriano[3]) regnante factum esse constat.

Legio IV Flavia a Vespasiano instituta est.

Itaque hos inter terminos titulum positum esse pro certo habendum est ita, ut e cursu honorum inscriptionem ultimis primi p. Chr. n. saeculi annis adiecerimus.

---

1) Bull. dell'inst. 1866 p. 146.

2) Brandis Herm. XXXI 161 seqq.

3) Marquardt I 353.

Orelli,[1]) quem secutus est Liebenam,[2]) hanc inscriptionem sine iusta causa attribuit Gordiani aetati.

72. **Q. Glitius Atilius Agricola.** Inter a. fere 81—90.

Honores exhibentur in titulis mutilatis Taurinensibus CIL V 6974—6983. Fuit sevir turmae equitum Romanorum, decemvir stlitibus iudicandis, tribunus militum legionis I Italicae, quaestor divi Vespasiani, aedilis curulis, praetor, legatus (iuridicus) citerioris Hispaniae, legatus legionis VI Ferratae, legatus pro praetore imperatoris Nervae provinciae Belgicae, consul, septemvir epulonum, legatus pro praetore imperatoris Traiani provinciae Pannoniae, donatus ab imperatore bello Dacico donis militaribus, sodalis Augustalis Claudialis, praefectus urbi.

Anno 103 iterum obtinuit consulatum,[3]) legatus fuit Belgicae inter annos 96 et 98; antecedunt in monumentis legatio legionis VI Ferratae, praetura, aedilitas; quaesturam gessit a Vespasiano commendatus, scilicet ante annum 79. Atque quoniam intersunt usque ad legationem Belgicae ad minimum septendecim anni, quibus Glitius paucis modo magistratibus functus est, eum non multo ante annum 79 quaestorem fuisse censuimus.

Qua de causa Domitiano imperatore Atilium aedilitatem circa annos fere 81—90 obtinuisse ratiocinati sumus.

73. **. . . Sospes.** Inter a. fere 85—90.

Invenitur in titulo Antiocheno Pisidiae in parte superiore mutilato CIL III 291 = 6818: fuit triumvir auro aere argento flando feriundo, tribunus legionis XXII Primigeniae, quaestor Cretae et Cyrenarum, aedilis curulis, praetor, praefectus frumenti dandi ex senatus consulto, curator coloniarum et municipiorum, legatus legionis XIII Geminae, donatus donis militaribus expeditione Suebica et Sarmatica corona murali,

1) Inscr. Latin. ampl. collectio II nr. 3658.
2) Forsch. p. 29.
3) Klein f. c. p. 54.

corona vallari, corona aurea, hastis puris tribus, vexillis tribus, legatus Augusti pro praetore provinciarum Galliae, Pisidiae, Phrygiae, Lycaoniae, Isauriae, Paphlogoniae, Ponti Galatici, Ponti Polemoniaci, Armeniae, fetialis.

Falso reliquias nominis Borghesi ita supplevit, ut de C. Bellicio Sollerte[1]) cogitaret. Sterret[2]) enim, qui denuo contulit inscriptionem, vestigia supplementum solum *Sospiti* admittere docuit et multo melius referri posse hunc titulum ad parentelam A. Iunii Pastoris L. Caesennii Sospitis, qui consulatum gessit anno 163.[3])

Propter curam municipiorum titulum non ante imperium Nervae vel Traiani poni posse luculenter demonstravit Liebenam,[4]) legatus legioni XIII Geminae in Dacia collocatae in bello quodam Dacico et Suebico praefuit. Significari videtur bellum Suebicum e tit. CIL V 7425 et Plin. paneg. 8, 2 notum, quo confecto Nerva et Traianus cognomen Germanici sibi adiunxerunt. Gestum esse putatur a. 97 vel 98, atque paucis annis post rebus bene contra Sarmatas gestis a. 101 et 102 Traianus Decebalo rege devicto triumphavit Dacicusque dictus est.[5])

74. **M. Iunius Vestinus Mallo Romanus.** Ultimis annis primi saeculi.

E titulis Narbonensibus truncatis CIL XII 2452 a et 2453 b multisque parvulis fragmentis CIL XII 2454 et 2454 a O. Hirschfeld hanc composuit inscriptionem: M. Iun(io) M. f. Vol. Vestino Malloni . . . oncanio Romano omnib(us) honorib(us) Viennae functo, adlecto in amplissimum ordinem senat(orium) inter quaestorios, aedili curuli, praetori, legato provinc(iae) Asiae.

Desjardins, qui edidit,[6]) monuit de Vestino, amico Claudii, cive Viennensi, qui tamen neque in ordinem senatorium lec-

1) Plin. ep. V 4, 1. CIL III 291. V 3338.

2) An Epigr. Journey (Pap. of the Am. School II) 1883—84 p. 124 nr. 98.

3) Klein f. c. p. 76.

4) Philol. X 293. Marquardt I 163.

5) De tempore conferatur Weichert, die legio XXII Primigenia. (Westdeutsche Zeitschr. XXII) Trier 1903 p. 71.

6) Rev. de philol. IV 1880 p. 61.

tus esse videtur neque praenomen Marci gessit. Alium Vestinum memorat Tacitus:[1]) Curam restituendi Capitolii (Vespasianus) in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum sed auctoritate famaque inter proceres.

Eandem ad parentelam pertinent inscriptiones ponderum aheneorum, quae reperta sunt Alexandriae, ut putatur, et Copti.[2])

Quibus e testimoniis intellegitur Iunios Vestinos floruisse primo p. Chr. n. saeculo, cuius finem magno nominum numero ostendi putamus.

75. **T. Marcius (Falg. Le . . .).** Priore dimidio alterius saeculi.

Quos gessit honores inveniuntur in inscriptione Tiburtina CIL XIV 3595: fuit sacerdos fetialis, tribunus militum legionis XIV Geminae, quaestor pro praetore provinciae Achaiae, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor candidatus, curator viae Latinae, legatus legionis II Augustae.

Extant duo huius tituli apographa, quorum alterum loco cognominis *Falgle* exhibet, alterum ab Hermanno Dessau descriptum distribuit *Falg. Le* . . . ita, ut *Falg.* nomen tribus (ceterum ignotae!), *Le* . . . reliquiae cognominis fuisse putentur.[3])

E singulis muneribus Marcii aetas propius circumsribi nequit; Huebner[4]) eum secundo saeculo attribuendum esse ratiocinatus est.

76. **Q. Camurius Numisius Iunior.** Inter a. fere 110—117.

Honores praebent tituli Attidiani in partem deleti CIL XI 5670—5672, quibus collatis et nomina et hi collecti sunt magistratus: Triumvir aere argento auro flando feriundo, tribunus militum legionis IX Hispanae, sodalis Titialis Flavialis, quaestor urbanus, aedilis curulis, praetor, legatus Augusti legionis . . . et VI Victricis.

---

1) Hist. IV 53.

2) IGR I 1374. 1379.

3) Distingui possunt illae reliquiae *Fal. Gle* . . . ita ut de tribu Fal(erna) cogitandum sit.

4) Herm. XVI 532.

Legio IX Hispana, quoniam post extremos annos Traiani non iam commemoratur, bellis initio principatus Hadriani in Britannia gestis perisse videtur;[1] cui cum legionem VI Victricem successisse constet,[2] in lacunae spatio *IX Hispanae* excidisse perverisimile esse nobis videtur.

Temporibus igitur Traiani Camurium aedilem fuisse censemus.

77. **Q. Caecilius Marcellus Dentilianus.** circa a. 135.

Teste titulo Carthaginiensi CIL VIII 14291 fuit decemvir stlitibus iudicandis, tribunus militum legionis (XI an VII incertum est) Claudiae piae fidelis, quaestor provinciae Africae, aedilis curulis candidatus divi Hadriani, praetor candidatus eiusdem, legatus provinciae Cretae Cyrenarum, legatus provinciae Hispaniae, proconsul provinciae Cretae Cyrenarum, legatus legionis XII Fulminatae, legatus Augusti pro praetore provinciae Galliae Aquitanicae.

Consul suffectus fuit a. 167;[3] atque cum etiam praetor nominetur candidatus Hadriani, non post a. 135 aedilitatem gessisse potest; neque tamen multo ante hoc magistratu eum functum esse putamus, cum triginta fere annis post consulatum acceperit.

78. **. . . Primus.** Inter annos 135—21

Tit. Compsanus acephalus ceterum optime servatus CIL IX 973: . . . M. f. Gal. Primo Xvir(o) stl(itibus) iud(icandis) trib(uno) leg(ionis) VII Geminae felicis Hispan(iae) citerioris q(uaestori) urban(o) aedili curul(i) praetori curatori viae Aureliae proco(n)s(uli) Lyciae Pamph[y]liae co(n)s(uli) Poly[t]imus lib(ertus).

Attribui nequit inscriptio magistratui aliunde noto, cui fuit cognomen Primi.

Quia is, ad quem pertinet inscriptio, proconsul Lyciae et Pamphyliae nominatur, non ante annum 135 hoc munere

1) Pauly Realencyclopaedie IV 889 (Grotefend). Pfitzner Kaiserlegionen p. 214. 248.

2) Schiller I 2, 608. Pfitzner Kaiserlegionen p. 214.

3) Klein f. c. p. 77.

functus est;[1]) atque ante annum 217 virum ignotum vixisse docetur tribunatu legionis VII Geminae, cui a Caracalla primo cognomen Antoninianae datum est.

79. **A. Plotius Sabinus.** Inter annos 138—158.

Titulo sepulcrali CIL VI 31746 docetur A. Plotium C. f. Sabinum fuisse decemvirum stlitibus iudicandis, tribunum laticlavium legionis I Minerviae piae fidelis, quaestorem urbanum, sevirum equitum Romanorum, aedilem curulem, sodalem Titialem, praetorem atque habuisse secundam imperatoris Antonini Augusti Pii salutationem. Mortuus est in praetura.

Qui cum fuerit amicus Antonini Pii, huius sub imperio etiam aedilitatem posuimus.

80. **M. Servilius Fabianus Maximus.** circa a. 145.

Tit. urbanus CIL VI 1517: fuit quattuorvir viarum curandarum, tribunus legionis I Minerviae, quaestor urbanus, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor, legatus pro praetore provinciae Asiae, curator viae Valeriae, legatus legionis III Gallicae, praefectus aerarii Saturni, fetialis, consul, curator aedium sacrarum, legatus Augustorum pro praetore provinciarum Mysiae superioris item Mysiae inferioris.

Idem Servilius titulo in Moesia reperto[2]) se pro salute imperatoris Caesaris M. Aurelii Antonini Augusti et imperatoris Caesaris L. Aurelii Veri templum vetustate collapsum restituisse praedicat; neque ad alium pertinet titulus et ipse in Moesia repertus,[3]) quo illud monumentum M. Aurelio tertium consule (anno 161) a Servilio legato Augusti pro praetore positum esse docetur. Consul suffectus fuit anno 158.[4])

Itaque Servilium circa a. 145 aedilitatem curulem obtinuisse verisimile est.

1) Marquardt I 376.
2) CIL III 12385.
3) CIL III 12514.
4) CIL III p. 1989 nr. LXVII.

81. **M. Claudius Fronto.** circa a. 153.

Nominatur in titulo urbano CIL VI 1377 = 31640, quem ponendum curavit imperatore M. Aurelio Antonino Augusto auctore senatus, quod post aliquot secunda proelia adversus Germanos et Iazyges ad postremum pro re publica fortiter pugnans ceciderit.

Accedit inscriptio honoraria Sarmizegetusae reperta CIL III 1457 minus copiosa.

M. Claudius Fronto fuit decemvir stlitibus iudicandis, quaestor urbanus, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor, legatus divi Antonini Augusti (scilicet ante annum 161) legionis XI Claudiae, legatus Augustorum (M. Aurelii et L. Veri) legionis I Minerviae in expeditionem Parthicam deducendae, legatus Augustorum pro praetore exercitus legionarii et auxiliorum per Orientem in Armeniam et Osrhoenam et Anthemusiam ductorum (162—165), curator operum locorumque publicorum, missus ad iuventutem per Italiam legendam, donatus donis militaribus bello Armeniaco et Parthico ab Augustis,[1]) comes divi Veri Augusti (bello contra Marcomannos gesto anno 166), legatus Augustorum pro praetore provinciae Moesiae superioris, tum simul Daciae Apulensis, legatus Augusti (M. Aurelii, scilicet post annum 169) pro praetore provinciarum III Daciarum deinde simul (Moesiae) superioris, consul.

Eum a. 170 obisse censuit Groag l. c. contra Guilelmum Liebenam,[2]) qui mortem Frontonis inter annos 171 et 172 ponendam esse existimavit.

Quo anno consulatum gesserit nescimus, quamquam, quia inter annos 161 et 170 aliis in magistratibus versabatur, Claudium imperatore Antonino Pio fasces tenuisse verisimile est. Cantarelli[3]) illum a. 167 curatorem fuisse ratiocinatus est.

Intervallis legitimis computatis aedilitatem circa a. 153 posuimus.

---

1) Anno 166. Schiller I 2, 642. Groag PW III 2722.

2) Forsch. p. 142.

3) La serie dei curatores operum publicorum. Bull. della comm. arch. com. di Roma XXII 1894 p. 216.

82. **L. Cestius Gallus Cerrinius Iustus Lutatius Natalis.** Inter a. fere 155—165.

Secundum titulum CIL X 3722 Volturni eruderatum fuit quattuorvir viarum curandarum, tribunus laticlavius legionis VIII Augustae, quaestor urbanus, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor, legatus Augustorum legionis XX Valeriae Victricis, proconsul provinciae Narbonensis, praefectus aerarii Saturni, consul iterum.

Cum Cestius legatus Augustorum appelletur, eum legatum fuisse M. Aurelio et L. Vero imperatoribus indicatur (161—169); qui quoniam nondum divi cognominantur, ante a. 172 positum esse titulum coniecimus.

Itaque magistratus minores inter annos 155 et 165 gessisse videtur.

83. **C. Arrius Antoninus.** circa a. 160.

Enumerantur honores in duobus titulis Concordiensi CIL V 1874 inter a. 161 et 169 posito et Cirtensi CIL VIII 7030 inter annos 180 et 188 collocato. Fuit quattuorvir viarum curandarum, tribunus militum legionis IV Scythicae, quaestor urbanus, sevir equitum Romanorum, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor, cui primo iurisdictio pupillaris a sanctissimis imperatoribus (scilicet a M. Aurelio et L. Vero) mandata est, iuridicus per Italiam regionis Transpadanae primus, praefectus aerarii Saturni, primus constitutus curator Nolanorum, curator Ariminensium, curator civitatum per Aemiliam, frater Arvalis (nominatur a. 186 in actis fratrum Arvalium CIL VI 2100), augur, sodalis Marcianus Antoninianus.

Arrii igitur aedilitas, cum fuerit ante annum 169 praefectus aerarii Saturni et praetor tutelaris, iuridicus Transpadanae ante annum 166,[1]) circa annum 160 ponenda esse videtur.

Hoc de viro sagaciter disputavit A. W. Zumpt commentationum epigraphicarum vol II, Berol. 1854 p. 3 seqq.

---

1) Henzen acta fratrum Arvalium 177. Mommsen St.-R. II 1085.

84. **Ti. Claudius Frontinus Niceratus.** circa a. 170.

Titulis Abellinati CIL X 1122 Argolico CIG I 1133 = IG IV 588 Laconico CIG I 1327 collatis hi honores computantur: decemvir stlitibus iudicandis, tribunus laticlavius legionis IV Flaviae, quaestor candidatus principis M. Aurelii Antonini Augusti Germanici, pro praetore provinciae Achaiae, ab actis senatus, aedilis curulis, praetor, sodalis Hadrianalis.

Idem Claudius cum fratre suo monumentum in honorem L. Aurelii Veri collocavit a. 164.[1])

Quibus titulis collatis quia anno 164 Frontinus quaestor pro praetore Achaiae fuisse videtur, circa a. 170 eum aedilem curulem posuimus.

85. **Q. Ranius Terentius Honoratianus Festus.** Saeculo altero exeunte.

Honores extant in titulo Suasano CIL XI 6164: fuit quaestor provinciae Siciliae, aedilis curulis, praetor tutelaris, praefectus aerarii militaris, legatus Lyciae Pamphyliae, legatus legionis II Adiutricis, proconsul Lyciae Pamphyliae.

Cui aetati Ranius adscribendus sit, in universum modo circumscribi potest. Eum non ante M. Aurelium honores adeptum esse praetura tutelari docetur; atque cum in titulo citato nominibus adiunctum inveniatur 'vir clarissimae memoriae', vix ante Commodum mortuus esse videtur.[2]) Quibus indiciis nisi aedilitatem circa finem secundi saeculi posuimus, quod comprobatur cursu honorum.[3])

86. **Ignotus.**

Fragmenta duo marmorea in urbe reperta CIL VI 1569: . . . aed. cur. civitates . . . aguntens . . . runenses Celeienses [Ce]tienses . . . nenses Ov[ilabenses] . . .

Attribuerunt hunc titulum editores e litterarum formis saeculo fere tertio ita, ut litterae frustuli primi paulo vetustiores esse visae sint.

---

1) Tit. Messenicus CIL III 495.

2) Klein Verw. I 171.

3) Borghesi op. V 388.

87. **. . . Iasdius.**

Extant CIL VI 1428 tria fragmenta tituli urbani valde mutilata, quorum duo denuo edita sunt CIL VI 31651: . . . [leg(ato)] Aug(usti) pr(o) [praet(ore)] . . . iae . . . [leg(ato) A]ug(usti) pr(o) p[raet(ore) . . . cur(atori) viae Aem]iliae praef(ecto) al[im(entorum)] leg(ato) leg(ionis) XIII Gem(inae) [cur(atori)] rei p(ublicae) Fulginatium . . . [ae]dili curuli [q(uaestori) prov(inciae)] Achaiae trib(uno) lat(iclavio) l[eg(ionis)] . . . . Iasdii Dom[i . . . pa]tri . . .

Propter nomen in fine tituli memoratum Iasdii Domitiani (?) inscriptionem attribuit Henzen Iasdio cuidam. Atque quamquam in lapide tali modo truncato dubitari nequit, quin quaecumque imposueris supplementa incerta sint aliterque fragmenta expleri possint, tamen e spatio lacunae et propter casum nominativum pluralis *Iasdii* (*Domitiani*) dativumque *patri* vocem *filii* cum nomine extitisse verisimile est. Iasdius autem Domitianus quidam Alexandro Severo (222—235) imperatore legatus pro praetore Daciae fuit[1]) et, si modo ab illo haec inscriptio dedicata est, pater aedilitatem gessit altero p. Chr. n. saeculo exeunte, quocum congruunt ordo et cursus magistratuum in titulo enumeratorum.

Liebenam[2]) hunc Iasdium Domitianum, quem patrem fuisse illius legati Alexandri Severi haesitans censuit, alteri p. Chr. n. saeculo attribuit.

88. **C. Porcius Priscus Longinus.** Inter a. fere 200—220.

Teste titulo Tiburtino CIL XIV 3611 fuit decemvir stlitibus iudicandis, adlectus inter quaestorios, ab actis senatus, aedilis curulis, adlectus inter praetorios, proconsul Lyciae Pamphyliae, consul, frater Arvalis.

Porcium magistrum fratrum Arvalium inter a. 224 et 231 fuisse ex actis fratrum Arvalium apparet.[3]) Incertus est

1) CIL III 797. 798. Liebenam Forsch. p. 148.

2) Forsch. p. 353.

3) Henzen acta fratrum Arvalium CCXIII—CCXVI. 195.

annus consulatus, quamquam Priscum primis tertii saeculi annis magistratus minores gessisse pro certo habere licet.

89. **L. Iulius Apronius Maenius Pius Salamallianus.** Inte a. fe 220—

Nomina et honores plene exhibentur in titulo Lambaesitano CIL VIII 18270: L. Iul(io) Apronio Maenio Pio Salamalliano trib(uno) latic(lavio) leg(ionis) X Gem(inae) adlecto inter q(uaestorios) praeposito actis senat(us) aed(ili) curuli praetori leg(ato) Aug(usti) vice quinque fascium prov(inciae) Belgi[cae le]g(ato) leg(ionis) I Adiutric(is) leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(aetore) provinc(iae) Ga[la]tiae item l[eg(ato) Aug(usti)] pr(o) pr(aetore) c(larissimo?) v(iro?) . . .

L. Apronio Pio consuli designato monumentum posuerunt Siguitani CIL VIII 19131. Denique rescriptum imperatoris CIL VIII 17639, quo libidini officialium, qui *bona provincialium impudenter exhauriant,* obsistit, Apronio Pio legato Numidiae factum esse putatur. Ad eundem spectant tituli CIL VIII 8782 = 18018. 17988. 17989.

Pallu de Lessert[1]) Apronium legatum fuisse Numidiae anno 242 coniecit. Quae si ita sunt — neque est quod obstet illius sententiae probabili — Iulii aedilitas inter a. fere 220 et 230 ponenda est. Adnotaverunt J. Schmidt et H. Dessau ad tit. CIL VIII 17639 sibi ad medium fere saeculum tertium hoc monumentum referendum esse videri.

Minus recte de tit. CIL VIII 18270 Liebenam[2]) mihi iudicavisse videtur, qui Iulium Apronium Hadriani aetati adscripsit.

90. **M. Antonius Mem(mius Hiero).** Inte a. fe 225—

Cursum honorum praebet titulus Tavii in Galatia repertus IGR III 238: *M. Ἀντ(ώνιον) Μέ*[*μμιον* . . .] *τὸν λαμπ*[*ρότατον ὑπατικὸν* vel *συγκλητικὸν*] *χειλίαρχον* [*λεγεῶνος* . . .] *κουαίστορα* [*ἐπαρχείας Λυκί*]*ας Παμφυλ*[*ίας πρόξεις συγ*]*κλήτου εἰλη*[*φότα αἰδίλην*] *κουρούλην πρ*[*εσβευτὴν Ἀσίας*] *στρατηγὸν*

1) Fastes I 442.
2) Forsch. p. 183.

δή[μου Ῥωμαίων ἔ]παρχον αἰραρί[ου τοῦ Κρόνου δι vel *ἐπαν]-ορθωτὴν Γαλ[ατῶν Τρόκμων προσ]τατεύσαντ[α καὶ ἐμιμελησά-μεν]ον αὐτῶν καὶ . . . τόπῳ καὶ . . .*

Antonium post annum 135 quaestorem Lyciae et Pamphyliae fuisse inde intellegitur, quod hoc anno provincia ab Hadriano senatui reddita est.[1]) Optime eum contulit Klebs[2]) cum Antonio Memmio Hierone legato Augusti pro praetore Cappadociae sub Philippis[3]) nominato in milliariis Cappadociae, quae, cum M. Iulius Philippus filius nondum cognominetur Augustus, inter annos 244 et 247 posita sunt.

Legationem pro praetore Cappadociae, siquidem idem est Antonius in inscriptione Graeca nominatus atque Memmius Hiero, non multo post magistratus in titulo enumeratos gessit. Tot igitur annis retro computatis, quot tum honores nominati obtinebant, inter annos fere 225 et 235 vel paulo ante aedilitatem gessisse putatur.

Liebenam[4]) hunc Antonium coniunxit cum Senecione Memmio Afro. legato Aquitaniae inter annos fere 90 et 92.

91. **Q. Comius Armiger Crescens.** Temporibus incertis sub imperatoribus.

Titulus Sicilibbensis nuper repertus[5]) hos exhibet honores: aedilis curulis, ab actis senatus, quaestor, sevir turmae secundae arn (?) . . . equitum, decemvir stlitibus iudicandis. Cognominatur vir clarissimus.

92. **. . . elius.**

Frustula duorum titulorum Brixiae reperta CIL V 4363 et 4364 ad eundem virum pertinere videntur. CIL V 4363:

---

1) Marquardt I 376.

2) PIR I 101.

3) CIL III 6914. 6915. 6941. 6942. 6946. 6947. 6955. 12165. 12181. 12192. 12199. 12212.

4) Forsch. p. 122.

5) Cagnat et Besnier L'année épigr. 1904 nr. 175 = Comptes rendus de l'acad. des inscript. et belles lettres 1904 p. 335. Apposuit Cagnat saeculo tertio exeunti iusta causa non allata.

. . . elius Q. . . . [aed(ilis?) c]ur(ulis?) pr(aetor) leg(atus?) . . . a . . . CIL V 4364: . . . elius Q(uinti) f. Fa[b . . .] Xvir stlitib(us) [iudic(andis) q(uaestor) a]ed(ilis) cur(ulis) pr(aetor) lega[tus] et f. Secunda Prisc . . . solum dedit.

93. **Q. Tarronius Felix Dexter.**

Nominatur in titulo Allifano CIL IX 2339: Q. Tarronio Q. f. Fab. Felici Dextro c(larissimo) v(iro) aed(ili) curuli designato collegium fabrum Tignuarior(um) patrono.

IV.

Fasti eorum aedilium, qui utrum plebei an curules fuerint incertum est.

94. **M. Fruticius.** Exeunte re publica libera.

Tit. Veronensis CIL V 3339: . . . M. Fruticius M. f. pr(aetor) aed(ilis) tr(ibunus) pl(ebis) . . .

Videtur vixisse primis temporibus Augusti adnotat Dessau,[1]) Mommsen[2]) hunc titulum adiecit aetati inter Caesaris mortem et ineuntem principatum interpositae, priusquam novas leges de ordine honorum Augustus instituit. Itaque Fruticii aedilitatem, quae utrum plebeia an curulis fuerit nescimus, exeunti rei publicae liberae attribuimus.

95. **Villius Annalis.** a.712=42.

App. b. c. IV 18, 70: (*Ἀννᾶλις στρατηρὸς προςγεγραμμένος*) . . . *ἐκρύπτετο ἀσφαλῶς μέχρι τοὺς σφαγέας ὁ υἱὸς αὐτοῦ . . . ὡδήγησεν . . . καὶ παρὰ τῶν τριῶν ἀνδρῶν τήν τε οὐσίαν ἔλαβε τοῦ πατρὸς καὶ ἐς ἀγορανομίαν ᾑρέθη. Ἀναλύοντα δὲ αὐτὸν ἐκ μέθης στρατιῶταί τι προςκρούσαντες ἔκτειναν, οἳ καὶ τὸν πατέρα ἀνῃρήκεσαν.*

Quibus e verbis apparere putamus Villium in annum 42 designatum sed antequam iniret magistratum interfectum esse.[3])

1) PIR II 89.

2) St.-R. I 555 n. 1.

3) Ceterum hic Villius favore triumvirum quaesturam praetermisisse videtur (Val. Max. IX 11, 6) ita, ut quaestor designatus aedilitatem capessiturus fuerit.

Aedilis in horas nonnullas suffectus. a.714=4

Dio XLIII 32, 3: . . . *καὶ ἐν τῇ τελευταίᾳ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ ἀγορανόμου τινὸς ἀποθανόντος ἕτερον ἐς τὰς λοιπὰς ὥρας ἀνθείλοντο.*

96. **M. Oppius.** a.717=

App. b. c. IV 41: *Ὄππιον δὲ ὁ υἱὸς . . . ἔφερεν ἐπὶ τοῦ σώματος . . . καὶ τὸν νεανίαν ὁ δῆμος ἐπαινῶν ὕστερον ἀπέφηνεν ἀγορανόμον.*

Dio XLVIII 53, 4: *Βουλευομένου δὲ οὖν καὶ Μάρκου τινὸς Ὀππίου ἀγορανομίας ὑπ' ἀπορίας (ἐκ γὰρ τῶν ἐπικεκηρυγμένων καὶ αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἦν) ἐκστῆναι τὸ πλῆθος οὐκ ἐπέτρεψεν ἀλλ' . . . ἐς τὸ τῆς ἀρχῆς ἀνάλωμα ἀργύριον αὐτῷ συνεσήνεγκε.*

97. **T. Helvius Basila.** Aetat. Augus-

Secundum titulos Atinates CIL X 5056. 5057 fuit aedilis, praetor, proconsul, legatus Caesaris Augusti.[1])

98. **M. Egnatius Rufus.** a.733=

Dio LIII 24, 4: . . . *ὥστε καὶ τότε* (728 = 26) *Μᾶρκος Ἐγνάτιος Ῥοῦφος ἀγορανομήσας . . . ταῖς οἰκίαις ταῖς ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐμπρησθείσαις ἐπικουρίας μετὰ τῶν ἑαυτοῦ δούλων . . . ποιησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο τά τε ἀναλώματα τὰ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ προσήκοντα παρὰ τοῦ δήμου λαβὼν καὶ στρατηγὸς παρανόμως ἀποδειχθεὶς . . .*

Vell. Pat. II 91, 3: Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, collecto in aedilitate favore populi, quem exstinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei praeturam continuaret . . . mox etiam consulatum petere ausus . . .

Id. II 92, 4: (C. Sentius Saturninus consul) . . . Egnatium florentem favore publico sperantemque ut praeturam aedilitati, ita consulatum praeturae se iuncturum profiteri vetuit, et cum id non obtinuisset, iuravit, etiamsi factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum.

---

1) Liebenam Forsch. p. 398. Levison nr. 166.

Cum Sentius Saturninus consulatum gesserit anno 19, Velleium aedilitatem Egnatii anno 21 adscripsisse apparet.

Hac in dissensione Paterculo fidem habendam esse atque Dionem erravisse censemus; ille enim quae narrat de M. Egnatio coniungit cum consulatu Sentii Saturnini tali modo, ut vix Egnatium pro alio quodam errore induxerit, Dio autem ipse de anno 19 narrans comitiis consularibus seditionem ortam esse tradit.[1])

Aedilis magistratu se abdicat. a.735=19.

Dio LIV 11, 1: *Αὔγουστος μὲν δὴ ταῦτ' ἐποίει, καί τις τῶν ἀγορανόμων ἐθελοντὴς ὑπὸ πενίας ἀπεῖπε τὴν ἀρχήν.*

99. **M. Iulius Maior Maximianus.** Saeculo p. Chr. n. primo.

Tit. Pergamenus (Le Bas-Waddington III 1723): *Μ. Ἰούλιον Μαίορα Μαξιμιανὸν ταμίαν καὶ ἀντιστράτηγον καὶ ἀγορανόμον Ῥωμαίων.*

Adnotatur l. c. III p. 410 inscriptionem attribuendam esse primo saeculo.

100. **. . . Pact(umeius?).**

Tit. urbanus permutilus CIL VI 1482: . . . Pact[umeio?] . . . aedil(i) praetori . . . meortu . . .

Desunt aetatis vestigia, e litterarum tamen formis primo saeculo inscriptionem attribuimus.

101. **Ignotus.**

Fragmenta quattuor Olympiae reperta (Die Inschriften von Olympia bearbeitet von W. Dittenberger und K. Purgold, Berlin 1896, 349): [. . . *Γ*]*έμι*[*νον* . . . *ἀν*]*θύπα*[*τον Μακε-δ*]*ονι*[*ας* . . .] *η* . . . [*στρατηγ*]*ὸν ἀγορα*[*νόμον τ*]*αμίαν* [. . . *Λ*]*ικινία* [. . . *εὐε*]*ργέτην* [*γενόμενον αὐτ*]*ῆς.*

Quem ad hominem pertineat hic titulus, plane incertum est. E scribendi ratione *Λικινία ν* littera semel posita attribuerunt editores primo p. Chr. n. saeculo.

---

1) Dio LIV 10, 1.

102. **Torquatus Novellius Atticus.** Inter a. p. Chr. fere 20—30

Teste titulo Tiburtino CIL XIV 3602 fuit decemvir stlitibus iudicandis, tribunus militum legionis I, tribunus vexillariorum legionum quattuor I, V, XX, XXI, quaestor, aedilis, praetor ad hastam, curator locorum publicorum, legatus ad census accipiendos dilectus et proconsul provinciae Narbonensis, in cuius honoris fine annum agens XXXXIV foro Iulii decessit.

Quo tempore Novellius tribunus fuerit, computari potest. Legiones enim, quarum vexillariis praepositus erat Novellius, in eisdem regionibus tum collocatas fuisse oportet. Atque legiones Prima, Quinta Macedonica, Vicesima Valeria Victrix, Vicesima prima Rapax in Germania inferiore collocatae a Tacito ann. I 31 commemorantur anno 14, quo habebantur castris aestivis in finibus Ubiorum. Quarum e numero cum in Britanniam deducta sit legio XX temporibus incertis sub imperatore Claudio, legionem I post cladem Varianam constitutam esse censeant viri docti,[1]) hos inter terminos Novellius tribunatu functus est.

Artius circumscribitur aetas testimonio Plinii[2]) Novellium Torquatum mira quadam arte potandi floruisse *ad proconsulatum usque e praetura honoribus gestis, tribus congiis, unde et cognomen illi fuit, epotis uno impetu spectante miraculi gratia Tiberio principe in senecta iam severo atque etiam saevo alias.*

Itaque honoribus, quos post aedilitatem gessit, retro computatis rationem habentes aetatis vitae, quam agens decessit, Novellium tertio decennio magistratus minores obtinuisse coniecimus.

103. **C. Calpurnius Bibulus.** a. 22

104. **Bruttedius Niger.**

Tac. ann. III 52: C. Sulpicius D. Haterius consules sequuntur . . . incipiente C. Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant sperni sumptuariam legem . . .

---

1) Marquardt II 446. Pauly Realencyclopaedie IV 870 (Grotefend). Pfitzner Kaiserlegionen p. 214.

2) Plin. h. n. XIV 144.

Tac. ann. III 66: C. Silanum . . . Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Bruttedius Niger aedilis simul corripiunt.

105. **M. Opsius Navius Fannianus.** circa a. 23.

Extat in titulo Neapolitano CIG III 5793 = IG XIV 719 = IGR I 431: *Ἴσιδι Ἀπόλλωνα Ὧρον Ἁρποκράτην* ***Μ. Ὄψιος Νάονιος Φαννιανὸς*** *στρατηγὸς ἔπαρχος σείτου δόσεως δόγματι συγκλήτου* ***Ρωμαίων*** *ἀγορανόμος ταμίας* ***Πόντου Βειθυνίας*** *χειλίαρ(χος) λεγ(εῶνος) έ* ***Μακεδονικ(ῆς)*** *ἄρξας ί ἀνδρῶν ἀρχὴν ἐπὶ* ***Ρώμης.***

Fuit igitur praetor, praefectus frumenti dandi ex senatus consulto, aedilis, quaestor Ponti et Bithyniae, tribunus legionis V Macedonicae, decemvir stlitibus iudicandis.

Idem videtur esse atque M. Opsius a Tacito ann. IV 68 (anno p. Chr. n. 28) memoratus: . . . Hunc (Titium Sabinum) Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petilius Rufus, M. Opsius praetura functi adgrediuntur cupidine consulatus.

Quod cum anno 28 factum sit et M. Opsium suffici aut in insequentem annum creari voluisse verisimile sit, circa a. 23 aedilitatem gessisse putatur.

106. **Abudius Ruso.** a. 34.

Tac. ann. VI 30 (anno 35): Et Abudius Ruso, functus aedilitate, dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur et urbe exigitur.

Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus decem annos legatus provinciae Germaniae superioris fuit[1]) (a. 29—39), quibus annis Abudius ei praesto fuit, in tribunatu militum ut videtur. Itaque magistratibus intervallisque computatis dubitari nequit, quin Ruso brevi ante annum 35 aedilis fuerit eumque anno 34 aedilitatem gessisse verisimile est.

---

1) Dio LIX 22, 5.

107. **T. Flavius Vespasianus.** a. 38.

Suet. Vesp. 2, 3: . . . aedilitatis ac mox praeturae candidatus, illam non sine repulsa sextoque vix adeptus est loco, [h]a[n]c prima statim petitione et in primis.

Dio LIX 12, 3 (anno p. Chr. n. 38): *Καὶ μετὰ τοῦτο πηλὸν πολὺν ἐν στενωπῷ τινι ἰδὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐς τὸ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Φλαουίου ἱμάτιον ἀγορανομοῦντός ποτε καὶ τῆς τῶν στενωπῶν καθαριότητος ἐπιμελουμένου ἐμβληθῆναι.*

Idem refert Suetonius Vesp. 5, 3.

108. **. . . Sulpicius.** a. 46 vel ant

Titulus urbanus permutilus CIL VI 3751 = 31282: [pro] salute [e]t reditu et v[i]ctoria Ti. C[laudi Caesar]is Aug(usti) Germ[anic]i pontific(is) m[ax(imi) trib(unicia) pot(estate)] V imp(eratoris) XI [co(n)s(ulis) III des(ignati)] IV et pro [salute Messalinae Ti. Claudi] Caesaris Augu[sti Germanici vot]o sus[cepto] . . . Sulpiciu[s . . .] o aedi[lis leg(atus) Ti. Cl]audi Caesaris Aug(usti) [Germa]nici ex s(enatus) [c(onsulto)?].

Opinatus est Mommsen (ad tit.) ita supplendum esse: [quin]q. aedil. [praef. Ti. Cl]audi addens: *Sulpicium si ponimus in municipio aliquo summos honores gessisse, ne dedicatio quidem ex senatus consulto facta offendit.*

Quamquam in titulo tam lacunoso vix quicquam pro certo obtineri potest, tamen nescimus, qua de causa Mommsen hunc titulum ab aedili municipali positum esse censeat; nihil enim obstat, quin statua, cuius basis Romae reperta esse videtur, ab aedili Sulpicio, cui obveniebat cura fori et viarum, dedicata sit.

Ex honoribus nomini imperatoris adiectis anno 46 inscriptionem exaratam esse intellegitur.

Aedilis mortuus est. a. 54.

Tac. ann. XII 64: Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus quaestore aedili tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis.

109. **L. Servenius Cornutus.** inter a. 62—72.

Honores plene enumerantur in titulo Acmoniensi (Dittenberger Orientis Graeci inscr. selectae nr. 482): *Ἡ πόλις [ἐ]τείμησεν [Λούκι]ον Σερουήνιον Λο[υκίου υἱὸν Αἰμι]λίᾳ Κορνοῦτον δέκ[ανδρον ἐπ]ὶ τῶν κληρονομικῶν δικα[στηρίων] ταμίαν δήμου Ῥωμαίων ἐπα[ρχείας] Κύπρου ἀγορανόμον στρατηγ[ὸν] πρεσβευτὴν καὶ ἀντιστράτηγο[ν] Μάρκῳ Ἀπωνίῳ Σατουρνείνῳ Ἀσί[ας] ἐπαρχείας τὸν ἑαυτῆς εὐεργέτην.*

Fuit igitur decemvir stlitibus iudicandis, quaestor provinciae Cypri, aedilis, praetor, legatus pro praetore M. Aponio Saturnino provinciae Asiae.

M. Aponius anno fere 69 Moesiam legatus Augusti administravit,[1]) frater Arvalis fuit a. 58—66.[2])

Quia Asia provincia tum a proconsule administrabatur, Aponium Saturninum post a. 69 Vespasiano imperante Asiae praefuisse verisimile est. Ita quamquam desiderantur ansae firmiores, quibus aetas Servenii constituatur, vix dubitabitur, quin inter a. 62 et 72 minores magistratus gesserit.

110. **T. Iulius Maximus Ma . . . Brocchus Servilianus A. Quadronius L. Servilius Vatia Cassius Cam . . .** circa a. 92.

Tit. Nemausensis CIL XII 3167: T. Iulio Sex. f. Volt. Maximo Ma . . . Broccho Servilian(o) A. Quadron[io] L. Servilio Vatiae Cassio Cam . . . leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) IV Flaviae leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) I Adiut[ricis . . .] iuridico Hisp(aniae) citerior(is) Tarraconens(is) pr(aetori) a[ed(ili) . . . q(uaestori)] provinciae Hisp(aniae) ulterioris Baeticae don[ato in] bello Dacico coronis murali et vallari h[asta pura?] vexillo trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Macedonic(ae) seviro [equitum] Rom(anorum) turm(ae) I decemviro stlitibus iudic(andis) Callaguritani ex Hispania citeriore patr[ono].

Quamquam in v. 5 huius tituli littera *A* sola integra extat, tamen nihil aliud nisi *a[ed(ili)* . . . apte supplebis.

---

1) Tac. hist. I 79.

2) Henzen acta fratrum Arvalium p. 177.

Renier,[1]) quem secuti sunt Klebs,[2]) Liebenam,[3]) Hirschfeld,[4]) a Domaszewski,[5]) bellum Dacicum Domitiano imperatore a. 86 gestum significari suspicatus est.

Quo ex anno magistratibus, qui intersunt, computatis aedilitatem circa a. 92 ponendam esse verisimile videtur.

111. **. . . rianus Volcinius . . . anicus.** Saecul primo exeunt

Tit. urbanus CIL VI 1543: . . . riano Vo[lcinio . . . a]nico praet(ori) a[ed(ili) . . . qu]aest(ori) prov(inciae) Asi[ae . . . pra]ef(ecto) coh(ortis) I Sygambr(orum) [V]olcinia Sabina fil(ia) [pa]tri dulcissim(o) fecit.

Cohortem primam Sugambrorum a Claudio institutam esse docuit Mommsen.[6])

Saeculo primo exeunti attribuimus hanc inscriptionem e formis litterarum.

112. **M. Nonius Mucianus P. Delphius Peregrinus.** Inter a. fere 120—1

Teste titulo Veronensi CIL V 3343 fuit tribunus militum legionis X Fretensis, quaestor, aedilis, praetor, legatus pro praetore provinciae Asiae.

Cum consul suffectus fuerit a. 138,[7]) eum inter annos 120 et 130 magistratibus minoribus functum esse verisimile est. Nonium circa a. 135 praeturam gessisse censuit Levison.[8])

113. **T. Flavius Longinus Q. Marcius Turbo.** circa a. 140.

Tit. Tomis eruderatus IGR I 622: *Τ[ύχᾳ ἀγαθᾷ] Ἁ βουλὰ κ[αὶ ὁ δᾶμος] τᾶς θεοκτίσι[ον Ἡρα]κλείας ἐτείμασ[αν τὸν] ἑαυτᾶς πάτρονα κ[αὶ εὐ]εργέταν Τ. Φλ. Παλατείνᾳ [Λογγῖ]νον Κ. Μάρκιον Τούρβω[να] ὕπατον πρεσβ(ευτὰν) Σεβ(αστοῦ) καὶ ἀ[ντιστράτηγον]*

1) Borgh. op. IV 214.
2) PIR II 201.
3) Forsch. p. 225.
4) ad tit. s. c.
5) Mus. Rhen. XLV 10.
6) Herm. XIX 43.
7) Klein f. c. 67. Liebenam Forsch. p. 56.
8) nr. 918.

[ἐ]παρχείας Μυσίας τῆς κ[άτω] ἐπιμελητὰν ὁδῶν κα[ὶ ἔργων] δημοσίων πρεσβ(ευτὰν) καὶ ἀντ[ιστράτηγον] Γαλλίας Λυγδωνησίας πρ[εσβευτὰν] λεγ(εῶνος) ά Βοηθοῦ στρατηγὸν ἀ[γορανόμον] ταμίαν Λ. Καίσαρος . . . [ἔπαρχον εἴ]λης γ ἱππέων Ρωμαίων [χιλίαρχον] σπείρης ά Γερμάνω[ν ἐπι]μελητὰν πρεσβευτὰν τᾶς ἰδί[ας πόλεως Φιλοτ]είμου Ἱππονείκου καὶ Ἡρα[κλείδου καὶ] Λευδίκου καὶ Διονυσίου . . .

Inter annos 136 vel 137, quibus fuit quaestor candidatus L. Aelii Caesaris, et 155, qui annus eum legatum Moesiae vidit,[1]) aedilitatem gessit ita, ut honoribus, qui intersunt, computatis eum aedilem fuisse circa annum 140 enucleaverimus.[2])

114. Gavius Clarus. circa a. 145.

Front. ep. II 7 (p. 135 Naber): Ceterum (Gavius) parsimonia et officiis et frugalitate onera quaestoria et aedilicia et praetoria perfunctus est.

Gavius cum natu minor fuerit Frontone,[3]) post annum 100 natus est, atque sumptum praeturae ei perpauperi Antoninus Pius expendit, persolvit autem postea Gavius omnia fisco.[4])

Ita Antonino Pio (138—161) imperante Clarum magistratus gessisse apparet, et ex aetate vitae Gavii aedilitatem circa a. 145 ponendam esse conclusimus.

115. L. Pomponius Gratus (?). Altero dimidio secundi saeculi.

Tit. urbanus CIL VI 1493: L. Pomponius L. f. Lem. Gratus v(ir) cl(arissimus) bis co(n)s(ul) prop. et ædil.

Adnotatum invenies: Quibus annis Pomponius Gratus consul fuerit non constat.

---

1) CIL III 7449.

2) Conferatur PW VI 2604 (Goldfinger).

3) Front. ep. l. c. p. 134 Naber: a prima aetate sua me curavit Gavius Clarus familiariter, non modo iis officiis, quibus senator aetate et loco minor maiorem gradu atque natu senatorem probe colit . . ., sed . . .

4) Front. ep. l. c. p. 135 Naber.

PROP ET ÆDIL quid significent, obscurum; Mommseno[1]) in mentem venit in lapide fracto fortasse fuisse reliquias verborum: [cu]r op. [publ.] et aedi[um sacrarum].

Nescimus an rectius ita suppleatur: L. Pomponius L. f. Lem. Gratus v(ir) c(larissimus) bis co(n)s(ul) proc[o(n)s(ule) prov(inciae) . . . pra]et(or) aedil(is) . . .

Pomponius cum cognominetur vir clarissimus, alteri secundi p. Chr. n. saeculi dimidio adscribendus esse videtur,[2]) num vero recte reliquias litterarum ad aedilitatem spectare posuerimus, in dubio relinquendum est.

116. **M. Didius Severus Iulianus.** circa a[nn.] 161—16[2]

Vit. Did. 1, 4: Inter viginti viros lectus est suffragio matris Marci. Quaestor ante annum quam legitima aetas sinebat designatus est. Aedilitatem suffragio Marci consecutus est. Praetor eiusdem suffragio fuit.

Conferatur tit. urbanus CIL VI 1401 permutilus.

Didius quia mense Ianuario anni 133 natus est,[3]) ante annum 158 quaestor designatus est. Quodque candidatus Marci aedilitatem et praeturam adeptus est neque eum maiora intervalla inter singulos honores intermisisse censemus, annis fere 161 et 162 aedilis fuisse putatur.[4])

117. **D. Clodius Septimius Albinus.** Inter a[nn.] 176—17[...]

Vit. Alb. 6, 6: Quaesturae gratia illi facta est. Qua concessa aedilis non amplius quam decem diebus fuit, quod ad exercitum festino mitteretur. Dein praeturam egit sub Commodo famosissimam . . . Consul a Severo declaratus est eo tempore, quo illum sibi paraverat cum Pescennio subrogare.

---

1) Secutus est eum Cantarelli, la serie dei curatores operum publicorum l. c. p. 223.

2) Hirschfeld, Sitzungsberichte der preuss. Academie der Wissenschaften 1901 p. 579 seqq.

3) PW V 413 (de Wotawa).

4) Pallu de Lessert fastes I 227.

Hac in vita diligenter distinguuntur cursus honorum militarium et civilium, quos obtinuit, atque elucet e verbis Capitolini 6, 3 *dein per Commodum ad Galliam translatus* et 6, 7 *dein praeturam egit sub Commodo famosissimam*, ante annum 179 Clodium neque praeturam gessisse neque in Galliam translatum esse, ubi *fusis fugatis gentibus transrhenanis celebre nomen suum . . . fecit.*

Antecedunt verba: *Bithynicos exercitus eo tempore, quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit.*

Clodius cum prima stipendia meruerit sub M. Aurelio et L. Vero imperatoribus (161—169), vix fuit anno 175 tribunus militum, sed eum cum mandato extraordinario, quoniam praetorii modo legionibus praeerant, apud exercitum fuisse verisimile est. Itaque, cum primis temporibus Commodi praetor factus esse videatur e verbis Capitolini, aedilitatem inter annos 176 et 179 posuimus.

118. **C. Sallius Aristaenetus.** Inter a. fere 185—200.

Secundum duos titulos urbanos CIL VI 1511, 1512 fuit septemvir epulonum, sodalis Augustalis, iuridicus per Picenum et Apuliam, curator viarum Aureliae et Corneliae triumphalis, praetor candidatus tutelarius, quaestor designatus et eodem anno ad aedilitatem promotus, decemvir stlitibus iudicandis, orator maximus. Cognominatur vir clarissimus.

Cum eiusdem nomen reperiatur in nummis Byzantinorum, qui imagines Septimii Severi, Iuliae Domnae, Caracallae, Getae Caesaris exhibent,[1]) archon Byzantii fuit inter annos 198 et 209.

Recte, ut putamus, hunc eundem esse Sallium atque Aristaenetum Byzantinum a Philostrato[2]) laudatum Dessau[3]) opinatus est.

---

1) PIR III 158.
2) Vit. soph. II p. 95, 4 Kayser.
3) Herm. XXV 158.

Borghesi[1]) cursum honorum eius sub Caracalla posuit, quod illo demum imperante saepius invenirentur remissiones eius modi, quae in titulo supra landato extant.

Quae cum ita sint, aedilis inter annos 185 et 200 fuisse videtur.

119. **M. Antonius Gordianus.** Inter a. fere 195—20

Vid. Gord. 3, 5: Quaesturam magnificentissimam gessit. Aedilitatis suae tempore duodecim populo munera . . . de suo exhibuit.

l. c. 4, 1: Praeturam nobilem gessit. Post iurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracallo, secundum cum Alexandro.

Falso Capitolinus Antonio duos attribuit consulatus, obstant enim nummi, qui eum semel fuisse consulem docent,[2]) consul fuit suffectus sub Caracalla anno incerto, 213 ut opinatur Klein.[3])

Gordianus quia a. 238, quo imperator appellatus est, senex fuit octogenarius,[4]) anno 159 natus est; atque sero non solum consulatum (vit. 18, 5), sed reliquos etiam magistratus adeptus est, antea enim variis litterarum studiis se dederat.[5])

Qua de causa saeculo alteri exeunti vel tertio ineunti aedilitatem Gordiani attribuimus.

120. **C. Mevius Donatus Iunianus.** Saecul tertio ineunte

Tit. Lanuvinus CIL XIV 2107: C. Mevio C. f. Donato Iuniano consuli proconsuli Siciliae provinciae pr(aetori) aedili q[uaes]tori Siciliae provinciae cura[tori] c[i]v[i]tatium univers[aru]m provinciae [Asi]ae leg(ato) Aug(usti) Pi . . . [curat]ori? Ciliciae . . .

---

1) op. V 389.

2) Klebs PIR I 97. De Rohden PW I 2629.

3) f. c. p. 93.

4) Herodian. VII 5, 3. Zonaras XII 17.

5) Vit. 18, 1—3. Philostr. vit. soph. praef.

Consulatum gessit anno ignoto. Attulit Garucci[1]) consulem anni 260 C. Iunium Donatum, quem adoptione coniunctum fuisse hoc cum Mevio censet.

Quoniam in inscriptione, quae e litterarum formis non ante secundi saeculi finem ponenda videtur, omnes honores militares desunt, quod raro Commodo, saepius Caracalla imperante invenitur, de saeculo tertio ineunte cogitandum esse putamus.

121. **Censorinus.** **Inter a. fere 230—240.**

Hist. trig. tyr. 33, 1: Vir plane militaris et antiquae in curia dignitatis bis consul, bis praefectus praetorii, ter praefectus urbi, quarto pro consule, tertio consularis legatus, praetorius secundo, quarto aedilicius, tertio quaestorius, extra ordinem quoque legatione Persica functus etiam Sarmatica.

Quibus annis Censorinus, qui anno 269 a legionibus suis purpura ornabatur, aedilitatem, siquidem gessit, gesserit, in universum modo circumscribi potest. Cum scriptor l. c. 33, 2 eum altero pede claudicasse dicat e vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, loco, quem supra laudavimus, adhibito verisimile videtur esse Censorinum inter annos 257 et 260 legatum cuiusdam provinciae Asiae fuisse. Quae si ita sunt, dubitari nequit, quin ille cursum suum honorum ante annum 257 incohaverit et aedilitatem intra a. fere 230 et 240 — aetate enim progressus fuit tum cum imperator factus est — gesserit.

At iure, ut putamus, Arthurus Stein[2]) in dubitationem vocat fidem cursus honorum, quem exhibet scriptor historiae trig. tyr., quamquam adiungit l. c. 33, 4 extare Censorini sepulcrum circa Bononiam, *in quo grandibus literis incisi sunt omnes eius honores,* dicens: *Was über seinen cursus honorum berichtet wird, ist durchaus fabelhaft, und somit ist auch die Grabschrift des C. bei Bononia, auf welcher sich dieser cursus finden soll, pure Erfindung.*

---

1) Klein Verw. 123.
2) PW III 1908.

Nam et cetera, quae de Censorini domo et stirpe traduntur, vix digna sunt, quibus fides habeatur, neque Censorinum, quamvis in re publica versatus sit, tot magistratus gessisse ullius aequalis exemplo comprobatur.

Pro certo tamen habere putamus licere Censorinum in numero magistratuum minorum aedilitatem gessisse.

122. **Ignotus.** Temporibus incertis

Fragmentum tituli Ameriae repertum CIL XI 4408: ae[d(ili) . . . Xvir(o)] stlit[ib(us) iudic(andis)] municipes . . .

123. **Ignotus.**

Fragmentum marmoreum in urbe repertum CIL VI 1571: . . . aug[ur] . . . aedil[is] . . . serto . . .

Appendix.

Testimonia aedilitatis Romanae perincerta.

a) **P. Ael . . .**

Fragmentum tituli Lambaesitani CIL VIII 18341: P. Ael . . . aedil . . .

b) **. . . Livius.**

Fragmentum tituli Tarracinae repertum CIL X 6319: . . . Livio . . . aed(ili?) . . . Hisp . . .

c) **M. Publ . . .**

Titulus mutilatus Ameriae repertus CIL XI 4406: M. Publ . . . aedilitatem . . . quae[sturam] . . .

d) **Ignotus.**

Fragmentum tituli urbani CIL VI 36732: . . . [su]tis . . . aed[ilis?] . . . mpa . . .

e) **Ignotus.**

Frustulum lapidis Zamae repertum CIL VIII 16443: . . . aedi[lis?] . . .

f) **Ignotus.**

Fragmentum tituli in Mauretania Sitifensi repertum CIL VIII 20421: . . . aed[ilis?] . . .

g) **Ignotus.**

Titulus Florentinus mutilatus CIL XI 1603: . . . Lu[p?]us . . . centu . . . aedil . . .

Fasti generales e ratione temporum compositi.

Anno a. u. c.	Anno a. Chr. n.	Aediles plebis	Aediles plebis Ceriales	Aediles curules	Aediles incerti generis
710	44		Aediles plebis Ceriales primi creati.		
711	43	M. Volusius.			
712	42				Villius Annalis.
714	40				Aedilis in horas nonnullas suffectus.
c. 716	c. 38			M. Barbatius Pollio.	
717	37				M. Oppius.
718	36	Aediles non creati sunt.	Aediles non creati sunt.	Aediles non creati sunt.	
721	33			M. Vipsanius Agrippa.	
re publica libera exeunte				P. Barronius Barba.	M. Fruticius.
ineunte principatu		A. Cottius. M. Cusinius. C. Papirius Masso.		T. Septimius Sabinus.	
aetate Augusti			C. Lucilius Benignus Ninnianus.		T. Helvius Basila.
724—729	c. 30—25			P. Paquius Scaeva.	
724—754	c. 30—1			L. Cornelius Rufinus Livianus.	
c. 725	c. 29			A. Terentius Varro Murena. L. Trebellius.	
726	28	Aediles non creati sunt.	Aediles non creati sunt.	Aediles non creati sunt.	
c. 729	c. 25	Sex. Pacuvius Taurus.			

732	22			M. Claudius Marcellus. L. Domitius Ahenobarbus.	
733	21				M. Egnatius Rufus. Aedilis magistratu se abdicat.
735	19				
740	14			Aediles vitio creati.	
p. Chr. n.					
c. 1—100			Mamius Murrius Umber. . . . lus.	. . . Fabatus.	M. Iulius Maior Maximianus. . . . Pact(umeius?)
c. 1—10		M'. Vibius Balbinus.			
5		Aediles sorte ducti sunt.	Aediles sorte ducti sunt.	Aediles sorte ducti sunt.	
c. 10—30				C. Pontius Paelignus.	
c. 10—33		Postumus Mimisius Sardus.			
c. 14—30			Q. Coelius. C. Fulvius.		
16				C. Ummidius Durmius Quadratus.	
p. 20			A. Caesius Gallus.		
c. 20—30					Torquatus Novellius Atticus.
22					C. Calpurnius Bibulus. Bruttedius Niger.
c. 23					M. Opsius Navius Fannianus.
c. 32			. . . us Celer.		
34					Abudius Ruso.
38					T. Flavius Vespasianus.
c. 40				L. Martius Macer.	
c. 40—50				M. Arrius Maximus.	
c. 46					. . . Sulpicius.
c. 50—100		M. Vettius Valens (?).			
54					Aedilis mortuus est.

Anno p. Chr. n.	Aediles plebis	Aediles plebis Ceriales	Aediles curules	Aediles incerti generis
c. 60?	M. Cl . . .			
c. 60—70	Sex. Sentius Caecilianus.			
c. 62—72				L. Servenius Cornutus.
c. 65		C. Caesius Aper.		
c. 70	. . . Tullius Varro.			
c. 71		C. Iulius Cornutus Tertullus.		
73—82			T. Rutilius Varus.	
c. 80—100			Sex. Tadius Lusius Nepos Paullinus.	
81—90			Q. Glitius Atilius Agricola.	
c. 85—90	L. Iulius Marinus Caecilius Simplex.		. . . Sospes.	
c. 92				T. Iulius Maximus Ma . . . Brocchus Servilianus A. Quadronius cet.
c. 98—112	L. Aemilius Honoratus.			
c. 100		P. Tullius Varro.	M. Iunius Vestinus Mallo Romanus.	. . . rianus Volcinius . . . anicus.
c. 100—150			T. Marcius Le . . .	
105—110	Ti. Claudius Quartinus.			
105—117		. . . Celsus.		
c. 110—117			Q. Camurius Numisius Iunior.	
117—138		M. Acilius Priscus Egrilius Plarianus.		

c. 122	L. Burbuleius Optatus Ligarianus.			M. Nonius Mucianus P. Delphius Peregrinus.
c. 135			Q. Caecilius Marcellus Dentilianus.	
135—217			. . . Primus.	
c. 138	M. Cornelius Fronto.			
138—158			A. Plotius Sabinus.	
c. 140				T. Flavius Longinus Q. Marcius Turbo.
c. 145			M. Servilius Fabianus Maximus.	Gavius Clarus.
c. 146		L. Neratius Proculus.		
c. 150—200		. . . cus Modestus Paulinus.		L. Pomponius Gratus (?).
c. 153			M. Claudius Fronto.	
c. 155—165			L. Cestius Gallus Cerrinius Iustus Lutatius Natalis.	
c. 160			C. Arrius Antoninus.	
p. 161	L. Albinius Saturninus.			
c. 161—162				M. Didius Severus Iulianus.
c. 170	L. Ragonius Urinatius Larcius Quintianus.			
			Ti. Claudius Frontinus Niceratus.	
		C. Memmius Fidus Iulius Albinus.		
176—179				D. Clodius Septimius Albinus.
180—190	Barbius Fulvius Aemilianus.			
c. 185—200				C. Sallius Aristaenetus.

Anno p. Chr. n.	Aediles plebis	Aediles plebis Ceriales	Aediles curules	Aediles incerti generis
c. 195—205				M. Antonius Gordianus.
saeculo II exeunte		Antonius Fronto Salvianus.	Q. Ranius Terentius Honoratianus Festus.	
			. . . Iasdius.	
saeculo III ineunte	M. Aurelius Seranus.			C. Mevius Donatus Iunianus.
c. 200—220		Q. Herennius Silvius Maximus.	C. Porcius Priscus Longinus.	
c. 220—230			L. Iulius Apronius Maenius Pius Salamallianus.	
c. 225		C. Luxilius Sabinus Egnatius Proculus.		
c. 225—235			M. Antonius Memmius Hiero.	
c. 230—240				Censorinus.
c. 240	Ant . . .			
temporibus imperii incertis	(Ti.) Claudius Dexter.	M. Iulius Arquillius Tertullus.	Q. Comius Armiger Crescens.	P. Ael . . .
	C. Pontius Rufus.	. . . Celer Maximus Cornelius Telesinus.	. . . elius.	. . . Livius.
	L. Luc(ceius?) Pronto.		Q. Tarronius Felix Dexter.	M. Publ . . .
		Valerius Priscus . . . lius Festus.		

Index nominum.

Vita.

Fridericus Ricardus Hermannus Heiligenstaedt natus sum a. d. III Non. Sept. anni 1887 in Saxoniae provinciae vico, cui nomen est Rossleben, patre Ricardo, quem mihi quartum decimum aetatis annum agenti praematura morte ereptum esse usque ad hunc diem doleo, et matre Elisabeth e gente Recke. Fidei addictus evangelicae primis rudimentis in ludo publico monasteriali patriae depositis receptus sum in scholam collectam, quae vocabatur, ubi per duos annos imbutus sum iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet. Tum adii patriae gymnasium, cuius classes septem annis emensus sum, pietatisque esse puto hoc loco gratias agere cum omnibus, qui me docuerunt puerum, tum viris humanissimis Iohanni Biereye tenenti illis temporibus gymnasii fasces et Erico Spangenberg, qui me summa cum comitate deduxerunt ad studia litterarum antiquarum.

Anno 1905 civibus academicis universitatis litterarum Fridericianae adscriptus operam dedi studiis Latinis, Graecis, Germanicis, unde transmigravi tempore Paschali anni 1907 ad universitatem Lipsiensem, unde autumno eiusdem anni iterum Halas me contuli. Examen rigorosum superavi a. d. X Kal. Dec. anni 1909.

Hos per novies sex menses scholas frequentavi, quas habuerunt vv. dd.: Abert Bethe Blass (†) Bremer Brueckner Brugmann Consbruch Dittenberger (†) Ebbinghaus (†) Fries Goldschmidt Hirt de Hollander Holz Ihm (†) Kern Lipsius Martini Muff Praechter Pruefer Riehl Robert Rothstein Saran Schultze Sievers Strauch Uphues Wissowa Wundt.

Sodalis fui proseminarii philologici per quater sex menses moderantibus vv. dd. Bethe Blass Ihm Wissowa, seminarii per sex menses regentibus vv. dd. Praechter et Wissowa, item proseminarii Germanici gubernantibus vv. dd. Holz et Saran ter sex menses, seminarii bis sex menses moderante v. d. Strauch. Praeterea benigne admiserunt ad exercitationes vv. dd. Bremer Consbruch Fries Holz Ihm Martini Robert Saran.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago maximas, imprimis gratissimo semper colam animo Georgium Wissowa, qui mihi hoc in opusculo elaborando summa cum benignitate viam monstravit ac rationem.